DE ORIGINE ET AVTORITATE VERBI DEI, & quæ Pontificũ, Patrum & Conciliorum sit autoritas, admonitio hoc tempore, quo de Concilio congregando agitur, ualde necessaria.

ADDITVS EST CATALOgus *Doctorum Ecclesiæ* DEI, *à mundi initio, usq; ad hæc tempora.*

GEORGIO MAIORE AVTORE.

Accessit quoq; rerum memorabilium Index.

BASILEÆ.

1551

1551



REVERENDISSIMO IN Christo Patri ac domino, domino Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, Georgius Maior S. D.


Cribunt Apellem, fama & celebritate nominis Protogenis commotum, uenisse aliquando Rhodum, ac auidum uidendi tam excellentem artificem & eius opera, statim ex portu ad officinam Protogenis properasse. Aberat autem is tum, & anus unica ædes et tabulam nouo operi pingendo, aptatam machinæ, custodiebat, quæ interroganti, herum domo abesse respondet, & simul rogat ecquod nomen sit, hospiti hero percontanti, ut domum redeunti exponere posit. Hic arrepto penicillo, per tabulam ex colore lineam summæ tenuitatis duxit, & simul ad anum inquit Apelles, Hinc quis sim herus tuus cognoscet.

Reuerso Protogeni, quæ gesta erant narrat anus. At ille lineæ subtilitatem contemplatus, mox artificem, quanquã non uisum antea, agnoscit, et lætus Apellem uenisse clamat. Neque enim in alium tam absolutũ opus cadere.

Ita hoc pulcherrimũ mundi opificium, summo consilio & sapientia extructum, & mira-

bili arte fabrefactum, Deum artificem & δημι-
τέκτονα ſuum monſtrat, ex cuius contemplatio-
ne omnes homines ſanos, neceſſe eſt conuinci,
hoc tantū opus neq; caſu extitiſſe, neq; temere
ferri, ſed ab æterna quadam mente, cuius infi-
nita ſit potentia, ſapientia et bonitas, & con-
ditum eſſe, & regi perpetuo ac conſeruari.

Vult igitur hoc opus ſuū à nobis ſummo ſtu-
dio & inquiſitione inſpici et cōſiderari Deus,
ut ex hoc ipſo, ipſum artificem agnoſcamus, et
eius ſapientiam & bonitatem miremur, & ce-
lebremus.

Ingens igitur bonum eſt, quòd in creatione
rerum, humano generi ita ſe patefecit Deus,
pro quo magnæ illi agendæ ſunt gratiæ.

Sed illa patefactio Dei, quæ primum uoce
filij Dei, deinde miniſterio ſanctorū Patrū, Pa-
triarcharum, Prophetarū & Apoſtolorum fa-
cta, et ſingulari bonitate Dei poſtremū in hæc
tempora uſq;, ſubinde alijs in aliorū tanquam
ſtationē et ſupplementū miſsis, Epiſcopis, Pa-
ſtoribus et doctoribus Eccleſiæ Dei, cōſeruata
eſt, et porrò uſq; ad glorioſum illum aduentū
filij dei ſeruabitur, lōgè maior et illuſtrior eſt,
qua filius Dei nō ſolum deum patrem, ſed et ar-
canam eius uoluntatē, ipſis etiam ſanctis ange-
lis antea ignotam, humano generi reuelauit, et

quo-

quotidie adhuc per uerbi ministerium reuelat, sicuti affirmat Irenæus cum ait, Ab initio aßistens Filius suo plasmati, reuelat omnibus Patrem, quibus uult, & quando uult, & quemadmodũ uult Pater. Deum enim, ut idem inquit, nisi Deo docente, cognoscere nemo potest.

Quàm ingens igitur & inenarrabile bonũ est in uocę ministerij audire ipsum Deum, de Deo cognoscẽdo docentẽ: & ideo docentẽ, ut Deum uerũ et quẽ misit Iesum Christũ, cognoscentes, æternam uitam & lætitiam habeant? Sed ô miseras hominũ mẽtes, ô pectora cæca.

Quantula enim humani generis pars est, quę hanc Dei uocem audit, Quæ ei obedit?

Legunt, audiunt, uident coràm ingentia miracula homines, quibus Deus testatur, doctrinam per Filium, Patres, Prophetas & Apostolos, orbi terrarum traditam & patefactam, esse suam ipsius uocem.

Henoch uiuus transfertur in cœlum, Noha sui seculi pontifex et cœlestis doctrinæ custos, solus cum paucis, qui hunc Doctorem audiebant, seruatur, cæteris omnib[9] per diluuiũ deletis. Maria, flumina, scopuli, sol, cœlũ, ignis, immanes bestiæ, leones, et propemodũ omnes creaturæ obediũt Mosi, Aharoni, Iosue, Eliæ, tribus pueris in candenti fornace, Danieli &

multis alijs ducibus & doctoribus populi Dei.

Deinde in magna frequentia populi, Pater de cœlo sonãs, mandat, ut Filiũ audiamus, qui resuscitatione mortuorũ et alijs ingentibus miraculis ostendit, se à cœlesti Patre accepisse doctrinam, quam nunc tradat. Idem illustribus miraculis & Apostoli, paßim in orbe terrarum Euangelium circumferentes, testati sunt.

Hæc quanquã (ut dictum est) legant, audiãt, et ipsi corã uideant homines, tamẽ pectora cæca & quouis saxo duriora, sensu tantarũ rerũ nõ afficiuntur. Vnde igitur homini tanta ἀναλγησία, tanta duricies quàm quod Deus huius seculi, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν, sicuti Paulus ait, captiuas tenet mentes impiorum, ut uidentes non uideant, et audientes non audiant?

Incredibilis igitur rabies et furor diaboli est grassantis aduersus deũ et pios ministros uerbi dei, et mille habet artes, quibus ministeriũ Verbi oppugnat et delere conatur. Nã ut sunt tempora & occasiones, ita et Ecclesiã aggreditur.

Cum florent doctrinæ cœlestis studia, et ea, uoce & ministerio piorum Doctorũ late spargitur, & eius puritas magna cura custoditur, ibi aperta ui & armis contra Ecclesiam seuit diabolus, qualia fuerũt tempora post ascensionem Iesu Christi domini nostri, ad cœlos, ad

Constan-

Constantinū Magnum usq;, annos circiter trecentos, ubi sub Nerone, Domitiano, Traiano, Adriano, Antoninis, Seuero, Decio, Diocletiano, Ecclesia duriter est adflicta & quassata.

Rebus tranquillis & secundis, cum animi ex ocio & securitate luxuriant, et studia ueræ doctrinæ de Deo, ab ijs negligūtur, qui eius custodes esse debebāt, excitat diabolus ingenia petulantia & ambitiosa, ut falsa dogmata spargant, & ueram doctrinam corrumpant, unde postea magnæ cōfusiones in Ecclesia oriūtur, ut cum beneficio Constātini Imperatoris, iam aliqua Ecclesiæ esset parta tranquillitas, mox secuti sunt furores Manichæorum, Arianorū, Pelagianorum, Eunomij, Macedonij, Nestorij, Eutichetis & aliorum multorum, cœperunt et Eremitarum & Monachorum opera, traditiones & superstitiones esse admirationi.

Hæc mala, postea tristiora secuta, et magnæ tenebræ in Ecclesiam inuectæ sunt. Nam quanquam ordine per aliquot pias Synodus, multi errores reprehēsi et sublati sint, ut fuit Nicena, Constantinopolitana, Ephesina, Calchedonensis, et quædā aliæ, tamē post Gregorij magni tēpora, cū iam monachorū cœtus creuissent, et eorū uita & opera sola in admiratione essent, ualde iterū Euangelij lux, de uera fide et ueris

cultibus obscurata est, & cœperũt eo tempore inuocari sancti mortui, & eorum exuuiæ et reliquiæ coli, cœpit et oblatio corporis et sanguinis Christi pro mortuis ex purgatorio redimendis, & multa talia alia. Præterea post Gregorium Magnũ cum per Focam Imperatorẽ Monarchia ecclesiastica Romano põtifici esset decreta, cœperunt ordine, non solum Romani pontifices, sed & alij Episcopi, paßim in orbe terrarum, non tam de uero Ecclesiæ ministerio retinendo, quàm de dominio bonorũ Ecclesiæ, occupando & subinde augendo & propagando cogitare.

Relicto igitur & abiecto ministerio uerbi Dei et Sacramẽtorũ, cum eius curã indoctis et superstitiosis monachis cõmendarent Episcopi, uera doctrina de Deo, ferè tota deleta est, sicuti testantur illorũ scripti libri, ut Thomæ Scoti et similiũ, & Sermones editi, quales sunt Discipuli, Dormisecure, Gritsch, Meffret, Bl cot, Holcot, et taliũ, qui et genus sermonis et totam doctrinã de Deo mutarũt & corruperũt.

Ex horum igitur doctrina, tanquam ex Sty gia palude tantum cœni, tot sordes & errores in Ecclesiam influxerunt, ut si unquam, certè hoc tempore Ecclesia maximè inspectione & repurgatione opus habeat.

Laud

Laudanda igitur et adiuuanda uoluntas eorum omniũ est, qui ad doctrinæ repurgationẽ et tollendos errores et impios cultus: nõ ad delendam, sed ad accendendã lucem Euangelij in toto terrarũ orbe, suadent Synodum, uerè piorum & doctorũ hominum, intelligentiũ doctrinam Ecclesiæ Dei, cogendã et congregandã esse, in qua non penes hostes, sed propugnatores ueritatis diuinæ, sit cõtrouersiarum dijudicatio: et ea quidẽ fiat nõ ex pluralitate suffragiorum, sed ex ueritate & collatione ac dijudicatione Scripturæ: non ex humana, sed ex uerbi Dei autoritate. et quæ ideo cogatur, non ut ex Ecclesiis sani & pij doctores pellantur, qui ueram doctrinã de Deo, et ueros cultus docẽt, & ut iterũ locus sit monachis et sacrificulis ad restituendos ueteres errores et impios cultus missarum, offerẽdi corpus et sanguinẽ domini pro uiuis, & pro mortuis ex purgatorio redimendis, inuocationis mortuorũ sanctorũ, colẽdi reliquias sanctorũ, ornãdi ipsorũ statuas, uotorũ monasticorũ, indulgentiarũ, peregrinationum & aliarũ superstitionũ et impietatũ: sed ut ueritas ingẽti beneficio Dei iam patefacta, in toto terrarũ orbe luceat. Tali Synodo quid Ecclesie posset esse aut necessariũ magis, aut utilius?

Quia uerò hoc tempore de Concilio cogen

do agitur, edidi hanc breuem & simplicē commonefactionē, de autoritate uerbi Dei, quam si pij amantes ueritatis probabūt, satis magnū fructum huius tenuis operæ feci. Hostes enim ueritatis non moror, quos scio magis amare tenebras quàm lucem, et in rem aliam nullam magis incūbere, quàm ut oppressa ueritate, suam potentiam & tyrannidem stabiliant.

Iam multis annis expetita est pia & Christiana Synodus, quæ in tanta acerbitate odiorū aduersus doctrinam Euangelij, nulla unquam fieri posse uidetur. Nam si dijudicatio penes hostes ueræ doctrinæ futura sit, quid aliud quā oppreßionem Christi speres?

Recte igitur & pie faciunt pij Reges, Episcopi et Principes, qui adhibitis grauibus, pijs & doctis uiris, ipsi suas Ecclesias repurgant, & sincerā Euangelij doctrinam & ueros cultus, abolitis idololatricis, restituūt. Sicuti scriptum est, Conueniant populi in unum, et reges ut seruiant Domino.

Præclare igitur inclytus ac sereniß. Angliæ et Franciæ rex Eduardus facit, et uos Reuerendiß. Episcopi et cæteri regni proceres, cū nouā Romanæ sedis doctrinā, & cultus idololatricos nouos abrogatis, et ueterē ac uerè apostolicam et orthodoxā doctrinā et ueros cultus dei,

quam

quam Apoſtoli Paulus & Petrus Romanis & ceteris Eccleſiis tradiderūt, rurſus in lucem et cathedrā reuocatis, et quā Britanni ab Eleutherio Romanæ eccleſiæ epiſcopo, anno poſt Chriſtum reſuſcitatum circiter 160. acceperunt.

Erat autem eo tempore doctrina ſinceriſsima, & cultus tales, quales ab Apoſtolis mandato diuino traditi erant Eccleſiis, ſicuti teſtatur Ireneus cum ait, Duodecimo loco Epiſcopatū ab Apoſtolis habet Eleutherius, Hac ordinatione & ſucceſsione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſijs traditio, et ueritatis prædicatio, peruenit uſq; ad nos. Et eſt pleniſsima hæc oſtenſio, Vnam & eandem uiuificatricē fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſq; nunc ſit conſeruata, & tradita in ueritate.

Apparet autem Eleutherium fuiſſe diligentem in retinēda doctrinæ puritate, à quo decretum factum eſt, ne quis cibum ullum, propter ſuperſtitionem reſpueret, à cuius & aliorum ſanctorum Epiſcoporū ueſtigijs, quorum multi in confeſsione Chriſti, uitam cum ſanguine profuderunt, quam longe poſteriores Romanæ eccleſiæ Pontifices receſſerint, & doctrinarum confuſio & infinita ſuperſtitio in cultibus, humana autoritate inuentis, tum etiā hoc oſtēdit, quod quos ueritatis cuſtodes & propugnato-

res esse decebat, eos nunc hostes experiamur.

Magna cura fuit primũ Eleutherij, deinde post annos 400, Gregorij magni episcopi Romani, ut gens uestra, abiecta idololatria, in cognitione ueri Dei et domini nostri Iesu Christi erudiretur. Mißi igitur sunt ab Eleutherio in Britanniã legati, Fugacius & Damianus, & postea à Gregorio, Augustinus primũ Abbas, postea uerò primus Cantuariorum episcopus; Itẽ Mellitus, Iustus, Paulinus, Rufinianus, & cum his alij sancti, & docti uiri, qui idolorum cultum, uoce Euangelij euerterent & delerent, & populis ueram doctrinam de Deo, & ueros cultus proponerent.

At nunc unicũ et summũ studiũ quorundã Episcoporum est, quibus in locis idololatria sublata, et lux cœlestis doctrinæ accensa est, ut ea extincta, & pijs et doctis Pastoribus pulsis suis ecclesiis, succedãt sacrificuli & Monachi, q̃ ueteres errores restituãt, unde tantæ cõfusiones rursus exoriũtur, quantæ in uestro regno, mortuo Anglorũ rege Edelbrechto et Augustino Cantuariẽse episcopo, ante annos 900. fuerunt, ubi populus cũ Regibus successoribus in ueterẽ idolomaniã relabi cœpit, & Episcopos Iustũ et Mellitum suis Ecclesiis pepulit, quæ tamen postea omnia Dei beneficio mutata sunt,

qua-

quādē mutationē et nos breui fore ſperamus, et ut breui fiat, ardentibus uotis à Deo petimus.

Quia igitur hoc tēpore multis bonis uiris propter ueræ doctrinæ profeßionem exulantī bus, tutus portus & refugiū ueſtra Anglia eſt, ut olim in perſecutiōe, Gallia Mellito & Iuſto epiſcopis Britanniæ, fuit, nō ſecus ueſtra bonī tas & pietas erga tales miniſtros Chriſti & doctores eccleſiæ prædicanda eſt, atque mulieris peccatricis, quæ Chriſti pedes lauit, cuius ueſtri beneficij hodiernus dies, quó memoria Mariæ Magdalenæ celebratur, me cōmonefacit, cumq; eius facti celebrationē uoluerit in Eccleſia ſeruari & extare Chriſtus, digni laude ac praeconio ſunt et illi omnes, qui ſimili modo pedes annunciantiū et prædicantiū pacē, annunciantium bonum, prædicantiū ſalutem, ſuis lachrymis lauant, hoc eſt, uera commiſeratione erga Eccleſiam et eius miniſtros, propter ipſorum exilia & ærumnas, afficiuntur, qui eos iuuant, tuentur, eis hoſpitia præbent.

Egregia enim imago hypocritarū & uerorum membrorū eccleſiæ hic propoſita eſt. Hypocritæ, et ſi ad ſe inuitāt Chriſtū, tamē tumētes faſtu et fiducia propriæ dignitatis, nō præbent aquam pedibus Chriſti, nō dant oſculum, nō ungent eius caput, id eſt, nō curant Chriſtū,

non exhibent ei debitos honores, non colunt, neq; amplectuntur uero amore et uera fide ut unicum liberatorē, propter quem recipiantur à Patre, non inuocant &c. Sed ne eius hostes esse uideantur, inuitant ad cœnam, cum uerè & ex animo ipsum oderint, & extinctū cupiant. Tales sunt hypocritæ plurimi etiā hac ætate.

Alij, Hypocritarum ministri & satellites, palàm hostes sunt, qui non lauant, sed uincula pedibus Christi inijciunt: non osculū præbent, sed eius faciem conspuunt: caput non oleo, sed colaphis ungunt.

At sola mulier peccatrix, Ecclesia, agnoscit & magnis gemitibus & ploratibus sua peccata deflet, & flumine lachrymarum lauat pedes Christi, amat, iuuat, colit ministerium, quo ad pœnitentiam uocatur.

Deinde tergit crinibus, id est, tam ardenti & uero amore amplectitur Christum & uocem Euangelij, ut etiam capitis periculum pro Christo audire non dubitet.

Postremò perfundit fragranti balsamo, dum sua uoce & cōstanti cōfeßione doctrinā Euangelij latè spargit, quo odore tota domus et omnes cōuiuæ replētur, ut bonis odor Christi fiat.

Hæc officia Reuerendiß. Domine, cum à nobis, domino nostro Iesu Christo, & ipsius pedibus

bus, ministris et cõfessoribus Euangelij Christi, iam apud nos exulantibus, summa cum beneuolentia præstari certum sit. Primum æterno Patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago, quòd non solum uoce ministrorũ sibi Ecclesiam in hoc mundo omnibus ætatibus colligit, sed & Ecclesiam & pios ministros contra diaboli sæuitiam mirabiliter seruat & tuetur, & ut porrò colligat & seruet toto pectore oro.

Deinde ideo hoc tenue & breue scriptũ V. C. mitto, ut V.C. exemplo, & alij Episcopi ac gubernatores Ecclesiarũ, ad similia officia excitentur, & curent aut piam & Christianam Synodum, ad repurgationem doctrinæ & superstitiosorum cultuum conuocari, aut ipsi in suis Ecclesiis errores & superstitiones tollant: & cum uelint uideri hospites Christi, ne (ut Simon) ei neq; aquam, neq; osculum, neq; oleum præbeant, sed uero amore Christum & Ecclesiam amplectantur, & eius ærumnis & miserijs, quæ hoc tempore multæ & magnæ sunt, afficiantur. Bene ualeat V.C. Vuitembergæ, ipso die S. Mariæ Magdalenæ.

M. D. L.

DE ORIGINE ET AVTORitate uerbi Dei, & quæ Pontificũ, Patrum & Conciliorũ sit autoritas, admonitio hoc tempore quo de Concilio congregando agitur, ualde necessaria.



Magna fuit omnibus seculis apud omnes gentes, in quibus studia uirtutis, uiguerunt, præsertim optimorum, doctißimorum & prudentißimorũ hominum inquisitio: primum, an sit deus aliquis: deinde cum ex gubernatione & cõseruatione creaturarum, & multis collectis rationibus esse Deum omnium rerum conditorem fateri cogerentur, proxima cura fuit inquirendi, quid nam illa natura seu mens æterna omnium rerum conditrix esset.

Et certè summis uiris, sicuti ipsorum monumenta testantur, neq; indagandi studiũ, neq; ingenij acrimonia ac præstantia defuit, si illa res humana sapientia inuestigari potuisset. Quia uerò ingens caligo & cæcitas ex lapsu orta, illam lucẽ agnoscẽdi Dei *obscurauit, inde accidit, ut alius aquam, alius ignem, alij aerem, & nescio quas res alias,* Deum *esse fingerent.*

Cum aũt sine uera cognitione, sine uero cultu & inuocatione ueri Dei, *nemo saluari possit: ideo* Deus *aduersus has humani animi tenebras*

bras lucem uerbi sui accendit, in quo & se & suam erga nos uoluntatem orbi terrarum patefecit, & certum cultum quo coli, & quomodo inuocari uelit, nobis ostendit. Hoc uerbum Filius ex sinu æterni Patris protulit, & ipse quidem cum latronibus est locutus, & ijs uoluntatem Dei patris ostendit.

Deinde uerò in sua Ecclesia & suo populo, qui huic uerbo & his diuinis promißionibus credebant, subinde alios atque alios ordine prophetas & Doctores excitauit, qui uel uerbi lucem obscuratam restaurarent, uel adsidua docendi cura illustrarent & propagarent.

Huius uerbi per Filium Dei in Paradiso traditi, custodes, conseruatores & propagatores in Ecclesia Dei, primò fuerunt patres, Adam, Seth, Enos, Kenan, Malaleel, Iared, Hanoch, Methusalah, Lamech, Noah, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, qui uiua uoce posteris suis Verbum de uero Deo cognoscendo, colendo & inuocando tradiderunt.

Postea succeßit Moses & Prophetæ, qui uerbum à Patribus, quasi per manus traditum & uiua uoce, & scriptis Ecclesiæ proposuerunt. Neque uerò Moses & Prophetæ à patribus tantum uerbum Dei acceperunt, sed &

filius Dei ipse sæpius Mosi & Prophetis apparuit, & cũ eis est locutus, & æterni Patris uerbum & promißionem, de mißione filij liberatoris generis humani, illis in Ecclesia propagandam commisit, ac ingentibus miraculis, Ecclesiam hoc uerbum amplectentem, contra maxima pericula, contra furores Satanæ & mundi defendit & conseruauit.

Nouißimè, ubi plenitudo temporis uenit, Verbum filius æterni Patris, adsumpta humana carne, ipse Conctonator & Redemptor humani generis de cœlo in terras uenit, et sua uoce, promißiones Patribus factas, & Prophetarum de se uaticinia, exposuit, & quæ antea quasi tecta & recondita erant, detexit ac aperuit, per sese implens Prophetarum, de se multis antè sæculis, edita uaticinia.

Sicuti autem ante Christi aduentum Prophetæ ad hoc diuinitus uocabantur, ut & populi errores ac peccata arguerent, atq; ad pœnitentiam errantes hortarentur, & promißione uenturi Liberatoris, agnoscentes lapsus suos erigerent, & eos docerent propter illum dominum promissum, illos esse acceptos Deo, & habere remißionem peccatorum, & donationem Spiritus sancti et æternæ uitæ hæreditatẽ. Ita et Christus filius dei ipse uocat et eligit sibi

Apo-

Apostolos testes suæ resurrectionis, qui, quod Prophetæ de ipso uaticinati sunt, suo præconio in orbe terrarum testentur, hæc iam omnia per ipsum mortuum & resuscitatum, & iam sedētem ad dextram dei patris impleta, factam per ipsum reconciliationem Dei Patris, partam orbi terrarum salutem et uitam, modo hæc sui liberatoris ingentia beneficia agnoscat mundus, & fide ac grato pectore amplectatur.

Preterea sicuti Deus Prophetis per se uocatis, ingentia miracula addit, quibus testatur ipsorum doctrinam non esse humanam, sed à se traditam, & ipsorum uaticinijs euentus quoque semper respondent. Ita & Apostolis datur spiritus sanctus, & adduntur miracula & prosperi ipsorū ministerio successus, ut etiam ipsis interfectis, tamen salua sit ipsorum doctrina, suus sit contra Satanæ & Mundi furorem cursus Euangelio, quibus miraculis & successibus in docendo testatur Deus, Apostolorum doctrinam, non ab ipsis aut ullo homine excogitatam, sed ex se ortam & suo mandato propagari, et sic contra diabolum grassantem, diuinitus hoc ministerium uerbi defendi & seruari.

Cum igitur Euangelij doctrina noua & nuper adeò nata, à plerisque putaretur, & ne

humanum inuentum existimaretur, allegāt Apostoli in initio Epistolarum suarum suæ doctrinæ autorem, Iesum Christum: cum ait Paulus Apostolus Iesu Christi, quasi dicat, non affero nouam doctrinam, aut humanum aliquod inuentum, sed eam, quam æternus filius Dei, iussu & mandato æterni Patris, Patribus tradidit: quam ipsi Patres posteris suis, à filio Dei acceptam, commendarunt: quam postea Spiritus sanctus in populo Dei, per Prophetarum uocem propagauit: quam Iesus Christus filius Dei ipse adsumpta humana carne, ex sinu æterni Patris depromptam, ad nos attulit, & in terris sua uoce docuit: qui Doctor testimoniū patris de cœlo habet, eum esse audiendum, sicut Pater dicit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, hunc audite. Qui ascendens ad cœlos, & sedens ad dextram Dei, ad propagationem & conseruationem uerbi à se mundo patefacti & traditi, Spiritum sanctum in nos Apostolos effudit, & eundem spiritum sanctum Ecclesiæ suæ amplectēti hoc uerbum donauit, ut eam per hoc uerbum sanctificet, regat & gubernet, ac ipsi donet iustitiam & æternam uitam.

Quare nostra doctrina qui Apostoli Iesu Christi sumus, autorem habet filium Dei, qui

ut

at per Patres, Mosen & Prophetas antea locutus est, ita & hoc tempore per nos seruos, legatos & Apostolos suos loquitur, & uoluntatem Dei Patris orbi terrarum patefacit.

Sic cum Apostoli, tum Prophetæ semper in initio suarum concionum allegant Deum autorem sui uerbi & ministerij. Sic Esaias orditur, Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Item, Hæc dicit Dominus, Verbum Domini quod factum est ad Ieremiam, &c. Et Moses Deuter. 1. ait, Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens, &c.

Nam cum Ecclesia mandatum habeat, ne ullius quàm Dei sui uocem audiat, necesse est doceri, cōmonefieri, & certos esse homines, hoc uerbum, quod eis traditur, esse Dei uocem, & mandato Dei hoc proponi. Ideo, sicuti suprà ostendi, Prophetæ & Apostoli, ingentibus editis miraculis, testati sunt suam doctrinam non humanā, sed cœlestem et ipsius dei uocem esse.

Cæterum summe necessarium est, animos firmis rationibus semper esse confirmatos, hanc religionem & doctrinam, quæ Prophetarum & Apostolorum uoce & scriptis, Ecclesiæ tradita est, uere celestem, & ipsius dei doctrinam esse, qua se Deus humano generi patefecit, in

qua nobis certum sui cultum proposuit, & corporalia & æterna bona offert, ne mentes fluctuent & sint dubiæ, ac existiment humana inuenta esse, quæ in Ecclesia docentur. Sicuti hoc tempore quidam homines existimant, tantam autoritatem tribuendam ijs, quæ Pontifices, Episcopi, aut concilia statuunt, quàm quæ scriptis Prophetarum et Apostolorum ex sinu æterni patris filius Dei suæ Ecclesiæ commendari uoluit.

Deinde ut constet & palàm sit, quod sit discrimen inter nostram & omnes alias religiones. Necesse enim est eam solam esse ueram Ecclesiam Dei, quæ illam doctrinã amplectitur et tuetur, quã Deus ipse tradidit, & omnes alias religiones, quæ hanc doctrinã non amplectuntur, nec puram aut integram retinent, esse commentitias, & hominum inuenta. Quare breuiter quasdam rationes ad cõfirmandos animos nostros proponemus, quæ ostendent, Prophetica & Apostolica scripta æterni dei uocem & mandatum esse.

¶ Prima ratio sumitur ab ipso genere doctrinæ. Multa enim in Prophetarum & Apostolorum scriptis patefacta sunt, quæ rationi humanæ prorsus sunt incognita, & perpetuo abscondita mansissent, imò quæ supra omnem

captum

ceptũ humani ingenij ſunt. Vnde fateri neceſſe eſt, hæc diuinitus per hæc ſcripta manifeſta eſſe, ut eſt articulus de trinitate. Nam quanquam mens humana, ex creatione rerum, & multis alijs firmis rationibus conuicta, fateri cogatur eſſe Deum, tamen nullo modo uidere aut intelligere poteſt, unam æternam eſſe diuinam eſſentiam, & tamen tres diſtinctas perſonas: Patrem ab æterno gignentem ex ſua natura filium, imaginem ſuam: et ſpiritum ſanctum à patre & filio procedentem, ſicuti & in uerbo ſuo ſe diuinitas patefecit, & in baptiſmo Chriſti uiſibili quoq; ſpecie trinitas apparuit.

Deinde uidet quidem & ſentit ratio humana, genus humanum infinitis calamitatibus, & ærumnis eſſe oppreſſum, ſed cauſas tantorum malorũ cernere nõ poteſt, intelligit deum colendum eſſe, ſed qui cultus ſit acceptus & gratus deo, de eo certo ſtatuere minimè poteſt, uidet neceſſe eſſe hominem nõ tantum ad hanc miſeram, ſed longè ad aliam præſtantiorem uitam conditum eſſe: ſed per quem, aut quomodo hæc æterna uita contingat, planè neſcit, uidet et ſentit naturæ corruptionem: ſed unde illa orta ſit, ignorat: neque etiam nouit quomodo ab ea liberari poßit. Neque uerò etiam intelligere poteſt, Remitti etiam indignis ac gra-

tis peccata, credentibus in Christum & ijs donari spiritum sanctum, & æternæ uitæ hæreditatem, propter solius filij Dei meritum, Fore item, ut mortui cum corporibus, quanquam consumptis et iterum in puluerem terræ uersis, resurgant. Hæc atque alia plurima quæ rationi ignota sunt, Prophetarum & Apostolorum scripta patefaciunt. Necesse igitur est, cum acies ingenij humani, has tantas res per sese uidere non poßit, illam patefactionē, quæ per Propheticam & Apostolicam Doctrinam fit, non esse humanam, sed diuinam.

¶ Secunda ratio sumitur ab effectu. Pauida corda, sensu peccati & cōspectu iræ dei perterrefacta, ut maxime humanis rationibus, remedijs et præsidijs erigere et sanare studeas, tamē acquiescere ac pacari nō possunt. Socrates, Demosthenes, Cato, præditi magnis ingenijs & magna sapientia ac doctrina, existimant sese ex illis artibus, quibus ornati sunt, habere præsidium et remediū, contra omnes ærumnas. Sed tamē tandem fracti et uicti, ruunt in desperationem, afferūt sibi ipsis uiolentas manus. At piæ mentes complectentes hoc uerbum, quod Deus per Prophetas et Apostolos suos Ecclesiæ tradidit, quo promittit se agnoscentibus peccata sua, uelle illa cōdonare propter filiū suum, qui

se ui-

seuictimā pro singulorū et totius mundi pecca tis, sibi deo patri obtulerit, capiūt firmam con solationem, & accipiūt spiritum sanctum, qui hunc sensum iræ & iudicij diuini tollit, et præ bet testimoniū spiritui nostro, quòd simus filij et heredes Dei, et simul per hoc uerbū et dona tionem Spiritus sancti per uerbū creditū, noui cōcipiuntur & sentiūtur motus cordiū, ut & acquiescant in accepta per fidem in Christum misericordia dei, et postea deo obedire, & fuge re ac odisse peccata uelint, ac ita cōfirmantur, ut fiducia sui Liberatoris omnes terrores pec cati, legis Satanæ et mortis uincāt. Euangeliū enim potentia Dei est, ad salutē omni credēti.

Quare necesse est hanc doctrinā esse ipsius Dei uocem, cum per eam solam et nullam rem aliam in orbe terrarum, sensus iræ diuinæ tollatur, & pax adflictis conscientijs adferatur.

¶ Tertia ratio sumpta est à consensu et perpetuitate doctrinæ. Vna & perpetua doctrina ab initio mundi usq; in hæc tempora, semper in Ecclesia Dei fuit, summus est in doctrina consensus Prophetarum & Apostolorum, una omnium uox, Deum nempe irasci peccatis, & ea cum corporalibus tum æternis pœnis punire. Ipsum aūt amantes rursus cōplecti, & confugientes ad misericordiam suam, gratis propter

filium suum, semen Abrahæ, recipi, benedici, cōdonari eis peccata, &c. Nihil in hac doctrina discrepat. Necesse est ergo, ex uno fonte & autore Deo, hanc religionem et doctrinam manasse. Nam in alijs omnibus Religionibus magna est uarietas & dißimilitudo. Hic uerò ut Ephe. 4. dicitur, Vnū corpus, et unus spiritus, una omniū spes uocationis, unus Dominus, una fides, unū baptisma, unus Deus et pater omnium, &c. Vna est ἀναλογία fidei & doctrinæ cœlestis, iuxta hoc, Fundamentum nemo aliud potest ponere, &c. Itē, Huic omnes Prophetæ testimoniū perhibent, remißionē peccatorū accipere per nomen eius, omnes qui credūt. Hac fide Patres, Patriarchæ, Prophetæ, & omnes pij ante aduentū Meßiæ saluati sunt, qua fide credentes in iam exhibitum filium Dei, pro nobis mortuum et resuscitatum omnes saluamur.

¶ Quarta, ab euentu uaticiniorum et prædictionum. Habuerunt & Ethnici suos uates, Calchantē, Tiresiā, Aristandrū et alios. Varia et Apollinis fuerūt uaticinia, quibus interdum quoq; euētus respōdit. Nam ex præsentiū rerū statu, colligit Satan futura, quæ postea prædicit. Sed illa ipsa Satanæ uaticinia sunt perplexa, incerta, ambigua: ut cum dicit, Magnum Crœse euertes imperiū, Aio te Aeacida Romanos

nos uincere posse. Sed Ecclesia dei certa uaticinia et infallibilia de rebus maximis, de uoluntate dei, de uenturo liberatore, de mutatione & ordine imperiorum, de extremo iudicio habet.

Prædixit Deus Abrahæ, Scito, inquit, prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum, in terra non sua, et subijcient eos seruituti, & adfligent eos quadringentis annis, uerum tamè gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia. Huic predictioni respondit euentus, eductus est populus Israel ex Ægypto, & occupauit terram Canaan promissam Abrahæ.

De Christo prædicit Iacob, ante ipsius aduentum annis mille septingentis, uenturũ ubi regnum Iuda fuerit euersum, uenit eo tempore Christus. Esaias prophetat annis ante Christum septingentis, fore ut Meßias ex uirgine & radice Isai nasceretur: natus est Christus ex Maria uirgine & radice Isai.

Micheas uaticinatur nasciturum in Bethlehem, natus est ibi Christus. Præterea quæ prophetæ omnes de paßione, morte, resurrectione, glorificatione & regno eius prædixerunt, his omnibus respondit euentus. Vaticinantur fore ut populus in Assyrios et Babylonios abducatur: hæc ut predicta sunt, euenerunt.

Daniel definit certũ tempus mortis Christi, et de dißipatione populi, euersione templi & urbis prædicit. Mortuus est eo tẽpore Christus, et secuta postea est uastitas. Sed fuerit nimis prolixũ cõmemorare omnia Prophetarũ impleta uaticinia, quæ collata ad euentus, mirificè animos piorum confirmant, quæ testantur doctrinã per Prophetas traditam, diuinã esse, cum tam certæ fuerint ipsorum Prophetiæ.

¶ Quinta ratio sumitur ex miraculis. Nulla enim unquam doctrina tantis ac tot miraculis est cõfirmata atq; Prophetarũ et Apostolorum, quibus testatur Deus, se esse defensorem huius populi, qui amplectitur doctrinam à Patribus et à Mose traditam, & eam suum mandatum et præceptũ esse, non hominũ commentum. Eduntur ordine decem plagæ, seu miracula, quarum partem etsi Magi, Satanæ ministri, imitentur, tamen tandem cõfunduntur. Postea proficiscentẽ ex Ægypto populũ, præcedunt colũnæ nubis et ignis. Exiccatur mare & præbet transitũ populo. Rex tyrannus hostis populi dei obruitur cum exercitu undis maris. Aquæ amaræ uertuntur in dulces, pascitur populus annis quadraginta pane cœlesti. Datur Lex in monte Sinai cum ingentibus miraculis: dantur coturnices. Terra deglutit Dathan &

Abiron

Abiron, ausos sese Mosi doctori populi dei opponere. Sed quorsum attinet hoc loco omnia enumerare, quibus Mosi uocatio confirmatur.

Deinde Mosi succedit Iosua, cui ut tanquã Mosi credatur, addũtur quoq; certa miracula, sicuti Deus inquit Iosuæ 3. Hodie incipiã exaltare te corã omni Israel, ut sciant, quòd sicuti cum Mose fui, ita & tecũ sim. Primũ igitur duce Iosua, Iordanis cædit populo, et præbet siccum transitum. Deinde urbs Hiericho sola conclamatione populi et sonitu tubarũ, sine humanis uiribus euertitur. Sol et Luna stant ad preces ducis Iosuæ, obediente Domino (ut textus ait) uoci hominis, & pugnante pro Israel. Triginta reges & unus uincuntur & fugantur à Iosua. Dominus enim Deus pugnabat pro Israel. Deinde ordine & perpetua successione Ducibus & Prophetis populi Dei, adduntur cuiq; sua miracula, ut testatũ faciat Deus ipsorum doctrinã & uocationẽ esse diuinam. Elias suis precibus claudit et aperit cœlũ, suscitat filiũ hospitæ suæ Sareptanæ mortuũ, ideo et mulier uidua uidẽs tantũ miraculũ, ait, Nunc in isto cognoui, quoniã uir dei es tu, et uerbũ domini in ore tuo uerũ est: quo ostẽditur illa miracula ideo fieri, ut certi sint homines eam doctrinã, quã prophetæ profitẽtur, esse cœlestẽ.

Prophetis succedūt Christus ipse filius Dei & Apostoli, quorum doctrina miraculis omnis generis, & tot signis paßim in toto orbe confirmatur, ut ea contuentes gentes, obstupescant, et deos in terra delapsos arbitrentur. Curantur uaria morborum genera, et quidem uerbo tantum, nō additis ullis remedijs. Fugantur dæmones, excitantur mortui: datur credentibus ipsorum uerbo, Spiritus sanctus, qui in ipsis uaria edit miracula, &c. Tot igitur ac tanta miracula nulla unquam religio habuit.

Nam quanquam etiam apud Gentes quædā accidisse, ut referunt Historici, credendum est, tamen apparet illa Satanæ fuisse ludibria et illusiones. Imò ipsi dæmones edentes miracula præsentibus Doctoribus Euangelij, obmutescunt & fugantur. Et hoc ipso nostro tempore, posteaquā uera dei doctrina propagata est, idola et statuæ sanctorū, quæ putabātur uarijs morborū generibus mederi posse, si quis ad ea uota fecisset, & obtulisset donaria, prorsus omnem uim suam amiserunt.

Ac mihi quidem inter tot ac tanta miracula, quæ uirtute huius cœlestis doctrinæ edita sunt, illud multo maximum esse uidetur, quod sicuti muri urbis Hiericho, solo clangore buccinarum et uociferatione exercitus populi dei

corrue-

corruerunt, et eodem penè modo Madianitæ à Gedeone, sine ullis uiribus humanis uicti sunt, ita & cum totum penè terrarum orbem, idolorum cultus teneret, quē nulla uis humana euertere & extirpare posset, tot nempe seculis à patribus & maioribus acceptum, is solo præconio & uoce apostolorum et aliorum sonantiū doctrinam Euangelij, sicut Dagon cum arca Domini in eius templum illata esset, concidit. Nihil hic contra hunc sonum Euangelij ualuerunt Romana arma: nihil Græcorum sapientia et artes: nihil satanæ furor, qui etsi magnas strages in Christianos ederet, tamē quanto magis premebatur, tanto maiores uires sumebat hæc doctrina de filio dei, sparsa per orbem terrarum, & in dies idololatrici cultus ruebant.

Ita & hoc tempore, in quibus locis Euangelij tuba insonuit, idola & statuæ cum idolatricis cultibus & impijs superstitionibus, quibus omnia templa & loca impleta erant, mox ruere & labi cœperūt, et quod nulla ui humana, nullis armis euerti posse uidebatur, tantū inualuerat impia superstitio, sola Euāgelij uoce euersum, iam in multis locis et regionibus prostratū iacet: sicuti prædixit per Esaiā cap. 11. Deus: Percutiet terrā uirga oris sui, & spiritu labiorū suorum interficiet impium. Et Paul. 2.

Theſſ.

Theſſ. 2. Et tunc reuelabitur ille ἄνομος iniquus, quem Dominus ſpiritu oris ſui interficiet, et deſtruet illuſtratione aduētus ſui, cuius eſt aduētus ſecundū operationē Satanæ, in omni uirtute et ſignis et prodigijs mēdacibus, in omni ſeductione iniquitatis, in ijs qui pereūt, eò quod charitatem ueritatis non ſuſceperūt, ut ſalui fierent.

Tot itaq; ſeculis à Patribus receptos & confirmatos impios cultus euerti, non uiribus, non armis ullis, ſed ſola propagatione huius doctrinæ, quam Eccleſia Dei profitetur, ſatis oſtendit, eam non eſſe humanū inuentū, ſed Dei uocē & mandatū, ſicuti ſonat prima promiſsio à Deo data, ipſum ſemen cōteret caput ſerpentis. Et Ioannes, In hoc apparuit filius Dei, ut deſtruat opera diaboli. Deſtruit aūt & cōterit caput diaboli in hac uita, non fulmine, non armis ullis, ſed paſsione, morte & reſurrectione ſua, & ea uoce quæ eius beneficia in orbe terrarum ſonat, in ijs qui eam fide acceptant & adprehendunt.

¶ Sexta, à cōſeruatione doctrinæ et odio Satanæ erga hanc religionem. Quicquid ex deo eſt, acerbiſsime odit Satan hoſtis Dei. Nullam unquam religionem à principio orbis terrarū tanto furore eſt perſecutus atq; hanc. Neceſſe eſt igitur hanc à Deo ortam, cum ita aduerſus

tam grassetur. Nam si ex satana esset, non eam sic odisset, non tam hostiliter oppugnaret, iuxta illud Christi Matth. 12. Si satanas satanam eijcit, aduersus se diuisus est. Et quanquam ita aduersus hanc doctrinam grassetur, tamen uirtute & præsidio filij Dei reprimentis Satanæ furorem, mansit salua, & conseruatur corpus Ecclesiæ, ut maximè serpens calcaneum mordeat, hoc est, quædã membra Ecclesiæ atterat, occidat: sicuti præcipuos Doctores huius uerbi interfecit Satan, Abel, Esaiam, Hieremiam, Zachariam, Ioannẽ Baptistam, Christum filiũ Dei, Apostolos & multos sanctos Episcopos, Polycarpũ, Ignatiũ, etc. Scriptum enim est: Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Confirmat hic Satanæ furor, & hoc tempore nostros animos, hanc doctrinã quam nos profitemur, uerè ipsius Dei uocem esse.

¶ Septima, In Eclesia certa & continua series ab Adam in hæc usq; tempora Doctorum est, per quos hæc doctrina est propagata, sicuti infrà ostendemus. Talem Doctorum seriem continuam nulla unquam religio habuit.

¶ Octaua, Sanguis tot Martyrum ab Abel in hæc tempora usq; effusus, testatur diuinã esse doctrinam, in cuius confeßione, tam forti animo occubuerũt, ut testarentur se doctrinam

à Deo acceptam non uelle prodere, sed suo effuso sanguine posteris testatum facere, Prophetica et apostolica scripta ipsius dei uocem esse.

¶ Nona ratio est, multi diuinitus horribiliter puniti sunt, qui uel hostes huius doctrinae fuerũt, uel eam prauis opinionib⁹ corruperũt, uel blasphemi aduersus eam fuerunt. Exempla sunt Hieroboã, Achab, Iorã, Sennacherib, Herodes, Nero, et ordine multi alij. Cherinthus in balneo oppressus est, Arius cacãdo obijt. Temporibus Anastasii imperatoris, Olympius quidam nomine Arian⁹, apud Carthaginẽ episcopus, cum blasphema uerba multa cõtra sanctã Trinitatẽ in balneis dixisset, tribus fulminibus ictus concidit, et eius cadauer exustum repertum est. Et hoc nostro tempore quidã hostiũ euangelij, cũ in ipso suggestu cõtumeliosa & blasphema uerba aduersus euangeliũ Christi dixissent, repentinis morbis oppreßi, mox extincti sunt.

Tales atq; alias plures rationes prodest omnino cõsiderare, et semper habere in cõspectu, ne ex contẽptu uerbi dei, ruamus in Epicureas opiniones, aut quaeramus extra uerbũ Dei reuelationes & illuminationes, quas hoc tempore phanatici quidã homines iactãt: cum certũ sit, Spiritum sanctũ non dari nisi credentibus huic uerbo, ut Gal. 3. & 4. Omnes filij Dei estis, eo

quod

quod credidiſtis Chriſto Ieſu, &c. Quoniam eſtis filij, emiſit Deus ſpiritū filij ſui in corda noſtra, clamātem, Abba pater. Et Act. 10. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit ſpiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant uerbū.

Et hoc ipſum euidens ſignū eſt, hoc uerbū ipſius ueri Dei mandatū eſſe, cum per illud credentibus detur ſpiritus ſanctus, quo regenerantur homines & nouos motus concipiunt, ſicuti ſuprà in ſecunda ratione oſtendimus.

Sciamus igitur uerbum eſſe audiendum, & cum hoc, quod uoce et ſcripto Prophetarum et Apoſtolorum nobis diuinitus traditum eſt, audiamus, reuerēter et gratis animis tanquam mandatum et uocem Dei, de cœlo ſonantem acipiamus, & iuxta illius præceptum & præſcriptum uitam inſtituamus & regamus.

Teſtimonia ſcripturæ.

Cæterum præter illas rationes, quæ teſtantur Prophetarum et Apoſtolorum ſcripta Dei eſſe uerbum, multa extant quoque teſtimonia ſcripturæ. Exod. 4. Ego ero in ore tuo, & in ore illius, ait dominus ad Moſen: quaſi dicat, Tu & Aaron frater tuus eritis meū os, ego loquar per uos. Hiere. 1. Ecce dedi uerba mea in ore tuo, &c. Qui igitur Moſen aut Hieremiā docentes audit, non hominem, ſed Deum per

hominem loquentem audit, ſicuti & Chriſtus dicit, Qui uos audit, me audit. Marc. 13. Cum duxerint uos tradẽtes, nolite præcogitare, quid loquamini aut meditemini, ſed quod datum uobis fuerit in illa hora, id loquimini. Non enim uos eſtis loquẽtes, ſed Spiritus ſanctus. Et Luc. 21. Ego dabo uobis os & ſapientiam. 2. Pet. 1. Omnis prophetia ſcripturæ, propria interpretatione nõ fit. Non enim uolũtate humana, allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt Dei homines. 1. Theſſ. 2. Quapropter & nos gratias agimus Deo indeſinenter, quòd cum acciperetis ſermonem à nobis, quo Deum diſcebatis, accepiſtis non ſermonem hominũ, ſed ſicut erat uere, ſermonẽ Dei, qui & agit in uobis credentibus. Et Chriſtus Iohan. 12. Qui ſpernit me, et nõ accipit uerba mea, habet qui iudicet eum, ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eũ in nouiſsimo die. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatũ dedit, quid dicam & quid loquar, & ſcio quia mandatũ eius uita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor. Hæc ſentẽtia Chriſti, tria præcipue complectitur, Primũ docet graues pœnas manere contemptores uerbi. Deinde oſtendit, quis ſit fons & autor eius doctri-

ne

ne,quam ipse filius Dei Ecclesiæ proponit,
Pater nempe cœlestis,& se Filium non aliud
docere,quàm quòd ex sinu æterni Patris acce-
perit,sicuti & testimonium Dei patris de cœlo
sonat, Hic est Filius meus dilectus,&c. hunc
audite. Quasi dicat,Huic Filio meo dedi man
datum quid meo nomine uobis dicat & loqua-
tur. Hunc ergo uolo audiri,huic uolo credi af-
ferenti ad uos mandatū meum. Est autem hoc
mandatum Patris,sicuti Iohan.10.ait,Vt Fi-
lius pastor ponat animā suam pro ouibus suis,
& ut oues in ipsum credentes,non pereant,sed
habeant uitam æternā. Postremo docet etiam,
quæ sit uis uerbi, Scio,inquit,quia mandatum
eius uita æterna est. Sicuti & Paulus Rom.1.
ait,Non erubesco Euangelium Christi,Virtus
enim Dei est,in salutem omni credenti. Hic
filius Dei ab initio semper adfuit Ecclesiæ,&
per Prophetarum ac Apostolorum uocem &
scripta,hoc mandatum Patris suo populo pro
posuit. Quia una est ab exordio mundi doctri-
ne in Ecclesia,una omnium Prophetarum &
Apostolorum uox , arguens peccata,& do-
cens nos condonationem peccatorum & recō
ciliationem propter Filiū Dei habere. Sicut in
quit Christus Iohan.5. Scrutamini scripturas,
quia uos putatis in ipsis uitam habere. Et illæ

sunt quæ testimonium perhibent de me, & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Et Petrus Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum recipere per nomen eius, omnes qui credũt in eum.

Cum itaq; certum sit Prophetarum et Apostolorum doctrinã Dei uocem et mandatum esse. Primũ necesse est, omnes homines ad hoc obligari, ut huic cœlesti uoci obtemperent, neq; licere ulli hominum, quod à deo præceptum est, mutare, uel addere, uel tollere. Deinde nõ posse alibi certius cognosci Deum, & eius erga nos uoluntatem, quam in hoc uerbo quo se & suã uoluntatem patefecit. Tertio, Non licere alios cultus Dei fingere, quàm quos ipse deus in hoc uerbo tradidit, quibus coli uelit, et omnes alios cultus esse inanes, sicuti inquit Christus, Frustra me colunt mandatis hominum &c. Quarto, nullam aliam uocem aut doctrinam in Ecclesia esse audiendam quàm ipsius dei, iuxta illud, Si quis aliud Euangelisauerit, etiamsi angelus è cœlo sit, anathema esto. Postremo nullam interpretationem scripturæ recipiendam esse, quæ cum scriptis Apostolorum & Prophetarum non consentiat, quæ non sit Analoga fidei. Sicuti enim autor, ita & interpres suæ doctrinæ solus est Spiritus sanctus. Non ualeat

contra hoc uerbum ullius hominis autoritas, sanctitas aut dignitas. Cedant hic patres, pontifices, episcopi, cōcilia, principes, reges, cæsares, imò angeli ipsi, Quia mandatum & uerbum Dei præferendum est omnibus creaturis.

Magna igitur insania, imò summa impietas quorundā est, qui cœlesti doctrinæ, cuius autor filius Dei & spiritus sanctus est, patrum scripta, Pontificum & cōciliorum decreta, uel æquant uel præferunt. Nam Prophetarum & Apostolorum uocatio immediate à Deo ipso est, et ut suprà ex Petro ostensum est, ipsorū doctrina non est humana uolūtate allata, sed spiritu sancto impulsi, locuti sunt Dei homines. Quare certi sumus, hos non posse errare. Episcoporum uerò uocatio mediata est per homines, illi non sint magistri aut autores scripturæ seu articulorum fidei, sed sint & maneant Prophetarum & Apostolorum discipuli, & accipiant doctrinam per Prophetas & Apostolos traditam, ac illam proponant Ecclesiæ, illam explicare & illustrare studeant.

Ac si quæ sententiæ pugnare aut scripta obscuriora esse uidebuntur, nō adferant aut ipsi ex suo ingenio excogitēt interpretationes, sed conferāt sentētias scripturæ, quæ collatæ, ipsæ lucem & certam sententiam scripto adferent.

Sic Patrum & Episcoporum enarrationibus utimur, non quòd ipsi eas inuenerint, sed quòd collatis sententijs, lucem scripturæ attulerint: ubi autem Prophetiæ seu interpretationes non sunt κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, ut inquit Paulus, & ab harmonia scripturæ dissonant, ibi reijcienda est interpretatio, et retinenda ueritas per Prophetas & Apostolos tradita. Sic enim et Augustinus ad Hieronymum Epistola 19. scribit: Ego fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum autorem scribēdo aliquid errasse firmißimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud, quàm uel mendosum eße codicem, uel interpretem non adsecutum esse, quod dictum est, uel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo uerum putem, quia ipsi ita senserūt, sed quia mihi uel per illos autores canonicos, uel probabili ratione, quod à uero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te mi frater, sentire aliud aliter existimo, prorsus inquam nō te arbitror sic legi tuos libros uelle, tanquam Prophetarum uel Apostolorum, de quorū scriptis, quod om-

qui errore careant, dubitare nefandum est. Et ad Paulinam Epistola 112. Nolo autoritatem meam sequaris, ut ideo putes tibi aliquid necessesse credere, quoniã à me dicitur, sed ut scripturis canonicis credas, &c. Et Hieronymus, Quicunque aliter scripturam intelligit, quàm sensus spiritus sancti efflagitat, à quo scripta est, hereticus appellari potest.

¶ Hæc de origine & autoritate uerbi Dei ad erudiendos & cõfirmandos animos nostros dicenda duxi. Atq; utinam magnitudinem & excellentem dignitatẽ ministerij perpetuò considerarent, & in conspectu haberent homines, Quid enim in hac uita dulcius, quid præstantius & magnificentius homini contingere potest, quàm in Ministerio, in scriptis Prophetarum & Apostolorum, in Sacramentis habere Deum ipsum rerum omnium Dominum & conditorem præsentem, & uerè Emanuelem, nobiscum colloquentem, concionantem, docentem, gubernantem & defendentem nos,

Felices existimamus Adam, Abrahã, Isaac, Iacob, Mosen, Dauidem, Prophetas & alios, quibus Deus ipse apparuit, quibus sua uoce locutus est. At illis per longa temporũ sæpe interualla locutus est, nobiscũ quoties uocem seu scripta Prophetarũ et Apostolorum audimus

ſeu legimus, quotidie loquitur, adeſt præſens nobis in miniſterio uerbi, et in Sacramentis, ut nos ter quaterq́;, qui tempore noui Teſtamẽti & reuelatæ gratiæ uiuimus, ſimus feliciores ijs, qui ſub nube, ſub umbra, ſub uelo Moſis ui xerunt, ſicuti inquit Chriſtus Matth. 13. Amen dico uobis, multi prophetæ et iuſti cupierũt ui dere quæ uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, et non audierũt. Item Ioan. 8. Abraham pater ueſter exultauit ut uideret diem meum, et uidit et gauiſus eſt. Dies aũt Chriſti, eſt dies reuelati Euangelij, durãs à die Penteco ſtes, quo Spiritus ſanctus effuſus eſt in Apoſto los, in diem extremũ ſecundi aduentus Chriſti. Hic dies quo Spiritus ſanctus datus eſt Apoſto lis et eccleſiæ dei, attulit nobis abundãtes diui tias gratiæ & gloriæ dei, ut ſimus templũ dei, ut ſimus filij et hæredes dei ac cohæredes Chri ſti, ut deum ſemper præſentẽ habeamus, ſicuti promittit nobis Chriſtus, Ero uobiſcum uſque ad conſumationem ſeculi. adeſt autem in uerbo & ſacramẽtis. Et, qui uos audit me audit. Item Ioan. 14. Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſer uabit, & pater meus diliget eum, et ad eum ue niemus, & manſionem apud eum faciemus.

Imò tanta eſt miniſterij uerbi dignitas & excellẽtia, ut qui huic uerbo Prophetarum et

Apostolorum credunt, unum fiant cum Christo & Deo patre, et efficiantur (ut Petrus ait) diuinæ consortes naturæ. Sic enim 2. Petri 1. scribitur, Qui uocauit nos propria gloria & uirtute, per quæ maxima et gloriosa nobis promissa donauit, ut per hoc efficiamur diuinæ cõsortes naturæ. Et Christus Ioan. 17. inquit, Non pro eis rogo tantũ, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipse in nobis unum sint. Quo quid de uerbi ministerio potest dici maius & excellentius?

Vt aũt doctrina Ecclesiæ Dei diuinitus est tradita, neq; ab hominibus inuẽta aut excogitata, ita quoq; uox cœlestis doctrinæ cum ipsa Ecclesia diuinitus et prorsus mirabiliter omnib⁹ ætatibus seruata est et semper conseruabitur.

Quanquam enim Christus ascendens in altum & sedens ad dextram dei patris, uideatur deseruisse Ecclesiam sponsam suam & eam exposuisse furoribus diaboli & mundi, sicuti apparet Ecclesiam duriter quassari, et nõ secus ac nauim in tẽpestatibus à procellis iactari, tamẽ quia mittit spiritũ sanctum, quia dat apostolos, Prophetas, & singulis ætatib⁹ excitat sanctos & pios Doctores, per quos uera doctrina de Deo rursus accenditur, & latè propagatur,

& multi ad iustitiam & æternam uitam uocantur, et illorũ ministerio adest Christus quo per spiritum sanctũ, uerbum & sacramẽta, plurimi renouantur et regenerantur ad iustitiã et uitam, & quia mirabiliter tales Doctores & cœtus piorum, contra diaboli et impiorum tyrannidem, defenduũt ac seruantur, ideo cõstat ac certum est, Ecclesiam nõ esse à Christo desertam, sed perpetuò eum, tanquam caput adesse suo corpori, pro eo excubare, id gubernare & defendere, sicuti sonant per ipsum datæ promissiones, Non relinquam uos orphanos, Ero uobiscũ usq; ad consummationẽ seculi. Et Esa. 51. Posui uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protegã te, ut plantes cœlos, & cap. 59. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, à modo & usq; in sempiternum.

CErtum quoq; est, Ecclesiam habere suum caput, suum ordinem & gloriam suam.

Regna & imperia politica, habent sua capita, Reges & Cæsares, quorum arbitrio & uoluntate imperia gubernantur, et quibus subditi præstant obedientiam.

¶ Ordo regni politici est, ut sub Rege sint

prin-

principes, quiſq; ſuo ſtatu et ordine, et ut cuique certa in regni adminiſtratione, cõmiſſa ſint officia, ut alius ſit præfectus prætorij ſeu equitum: alius præfectus (ut nunc uocant) Cameræ, alius Cancellariæ, audiendis & dijudicandis controuerſiis & negocijs imperij, &c. Deinde ſint Comites, Barones, Equites, Ciues, Agricolæ, &c.

¶ Gloria imperij politici eſt, quòd uiri præſtantes prudentia, eruditione et uirtute, ſedent ad gubernacula rerum, quod ex certis legibus dicitur ſententiæ: quod magni ſunt reditus, ingentes opes, potentia: quod parata ſunt arma, exercitus: quod oppida omnium rerum copiis ſunt instructa, magnis præſidijs & munitionibus firmata, &c.

Hanc imaginem regni Politici, prudẽtes uiri intuentes, cogitant iuxta huius formã et normam, eccleſiæ gubernationem quoq; cõſtituendam. Vt igitur in regno Politico inter Principes, Rex aut Imperator ſummum caput eſt, cuius ſumma eſt adminiſtratio & à quo in rebus dubijs & incertis ſententia, atq; ipſarũ legum interpretatio petitur, & ad quem ſummæ referuntur cauſæ. Ita et in Eccleſiaſtica gubernatione inter Pontifices & Epiſcopos unum ſummum eſſe uolũt, penes quem ſuprema ſit autoritas

toritas in dicendo iure, in regendo populo, & cōdendis traditionibus, et (ut nunc uocant) Canonibus, & penes quem sit potestas interpretandæ scripturæ, et dirimendi cōtrouersias ecclesiasticas: atq; hoc ecclesiæ caput, nolunt esse iure diuino & humano Pontificem Romanū.

¶ Ordo huius ecclesiasticæ gubernationis est, ut sub summo Pontifice sint Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Suffreganei, Præpositi, Decani, Scholastici, Canonici, Vicarij, Presbyteri, Archidiaconi, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectores, Hostiarij, Psalmistæ, Clerici. Deinde in Monachatu ordo est, ut sint Abbates, Prouinciales, Priores, Monachi, & nescio quæ talium fucorum examina.

¶ Gloria huius ecclesiastici regiminis est, quòd hæc gubernatio certis legibus, decretis, decretalibus, statutis et canonibus est cōstituta. Quòd sua iudicia & consistoria, excōmunicationem & uarias pœnas habet, quib⁹ inobediētes cohercet. Item, quòd religione iurisiurandi obnoxios habet imperatores, reges & principes, qui hunc Ecclesiæ statū, ui & armis tueri coguntur. Præterea quòd et ipsi regna & principatus obtinent, quòd opibus, uiribus, & potentia præstant. Item quòd uarios cultus, Mis-

inuocationes sanctorũ, peregrinationes, in
gentias, & talia alia multa habent, quibus
tes superstitiosæ multitudinis irretitas et si
obnoxias tenent. Hunc statum, cum uiri
et potẽtia præstet, et maximã partem regũ
& principũ ac multitudinis coniunctã habeat,
prudentes uiri iudicant esse ueram Ecclesiam,
itaq; sese ei adiungunt. At Paulus ad Ephe.
gat hunc statum, seu hunc cœtum, esse Eccle
siam dei: quanquam specie sanctitatis, uiribus,
potentia & autoritate pollentem, ac regum &
principum armis & præsidijs munitum.

Proponit enim nobis longè aliam Ecclesiæ
imaginem spectandam, quam qualem humana
sapientia sibi somniat ac fingit: nempe talẽ cœ
tum, statũ seu corpus, qui cœtus uoce Prophe-
tarum, Apostolorũ, Euangelistarũ, Pastorum
et Doctorũ collectus, & ad æternã uitam uoca
tus sit, qui ut uiui lapides sint superstructi su-
per fundamentũ Apostolorum ac Prophetarũ,
in summo angulari lapide, ipso Iesu Christo,
qui uocẽ capitis et pastoris sui audiunt, & do-
ctrinæ puritatem ac uerum usum Sacramento
rum retinẽt, sicuti inquit Christus, Oues meæ
uocem meã audiũt. Et Ioan. 8. Si uos manseri-
tis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, &
cognoscetis ueritatẽ, & ueritas liberabit uos.

Quare

Quare qui fundamentum aliud quàm quod positum est, ponunt, aut positũ euertunt, quiq; extra sermonem Christi uagantur, aut contraria ei sermoni docent, aut uocem Christi seu sacramentorum usum, sophistica, ad stabiliendam potentiam suam corrumpunt, non sunt uera ecclesia, non sunt discipuli Christi, non sunt conciues Sanctorum, & domestici, sed peregrini, hospites, imò hostes Dei, iuxta illud, Qui non est mecum, contra me est.

Missas autem, inuocationes sanctorum, prohibitionẽ calicis cœnæ Domini, item coniugij Sacerdotum, ciborum, & talia alia multa pugnare cum uoce Christi, cum fundamento Prophetarum & Apostolorum manifestum est.

Hunc autem cœtum, qui est corpus Christi, ostendit ibidem Paulus habere quoq; suum caput, ordinem & gloriam.

CAput autem Ecclesiæ ueræ adfirmat esse Christum sedentẽ ad dextram Dei Patris, interpellantẽ pro nobis, exaudientẽ uota et preces nostras, defendentẽ nos, donantẽ uobis Spiritum sanctũ, conseruantẽ corpus suum & Ecclesiæ ministeriũ, mißis Apostolis, Prophetis, & subinde alijs excitatis doctoribus Ecclesiæ, per quos doctrinæ cœlestis lux & puritas latè spargatur & retineatur, ac corpus Christi ædificetur

fluctur & incrementum capiat. Sicuti, inquit, crescamus in illum per omnia, qui est caput, Christus, ex quo totũ corpus cõpactum, &c.

Huius Capitis maior debet esse autoritas quàm totius Romanæ urbis aut etiam terrarũ urbis, iuxta decretum cœlestis Patris, editum de cœlo, Hunc audite.

Si quid igitur uel concilia statuerint, uel Patres scripserint, aut etiam Angelus de cœlo docuerit, quod uoci Christi, Prophetarũ aut Apostolorum sit contrarium, anathema sit.

Veri igitur cultus Dei, scripturæ interpretatio, & omnia quæ ad iustitiam & æternam uitam necessaria sunt, petantur, nõ ab humana autoritate, quãta quãta illa sit, sed ex doctrina capitis Ecclesiæ, domini nostri Iesu Christi, & ex eorum scriptis, quos sedẽs ad dextrã patris dedit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, etc.

¶ Ordo aũt Ecclesiæ est, quod caput Christus, dedit seu posuit in ecclesia, primũ Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, deinde potestates, deinde dona sanationũ, subsidia, gubernationes, genera linguarũ. Atq; hic quidẽ ordo pulcherrimus à deo ipso in ecclesia, nõ ad hoc est institut⁹, ut regna et imperia teneãt: hoc enim caput Ecclesiæ, Christus, manifestis uerbis prohibet, cum ait, Reges gentium domi

nantur: uos autem non sic, sed ut sint ministri Christi et in Ecclesia dispēsatores mysteriorū Dei, ad consummationē sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.

Quàm autem ab hoc ordine Romana, non Apostolica, sed apostatica sedes, longè recesserit, & quàm multa contraria suæ uocationi faciat, manifestum est. Apostolica enim sedes est, quæ doctrinam & cultus per Apostolos traditos conseruat & retinet.

¶ Postremò gloria ueræ Ecclesiæ Dei, non sunt opes, non regum et principum præsidia et arma, non amplæ dignitates, non potentia, nō regij census & reditus, non ingentes exercitus: sed quòd Ecclesia agnoscit peccata, lapsus & infirmitates suas, & eas deplorat, & quòd credit iuxta editas promißiones per filium Dei, sponsum suum, se recōciliatam Deo, qui semet ipsum exposuerit pro ipsa, ut eam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbum, etc.

Præterea gloria Ecclesiæ hæc est, quòd per Christum sint deleta peccata, destructa tyrannis diaboli, abolita mors, & quod ipsa de his per hunc dominum & sponsum suum uictoriā habet, & quanquam in hac uita sit subiecta uarijs miserijs & ærumnis, tamen istis malis non frangitur, neq; ea dedecus aut ignominiam ducit

tit, sed de his gloriatur, sicut Rom. 5. dicitur, Stamus in gratia & gloriamur sub spe gloriæ Dei: nec id solum, uerum etiam gloriamur super afflictionibus, &c.

Præterea quòd gloriam in hac uita habet testimonium cōscientiæ, sicuti 2. Cor. 1. dicitur, Quòd propter filium dei, scit sibi gratis remitti peccatum, donari spiritum sanctum, & se ornandam æterna uita & gloria. De qua gloria regni Christi Dauid Psal. 145. canit, Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquētur, Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam & gloriam magnificentiæ regni tui.

Consideretur igitur quanta sit dignitas ministerij uerbi, ab eius autore & conseruatore. Cum enim tantæ imperiorū sint ruinæ & confusiones, tanta tyrannis diaboli, sæuientis & grassantis contra pios, & excitantis uarias sectas & hæreses, & horribilis sit apud reges & principes, & maximam multitudinem hominum, contemptus, imò odium ueræ & cœlestis doctrinæ, & magna quoq; discentium sacras literas negligentia, sæpe anguntur piorū animi, ut cogitent quæ sit futura Ecclesia Dei, & ubi mansura, & quomodo in tantis malis, doctrinæ lux et puritas seruari poßit, quam Satan omnibus uiribus delere conatur.

Erigenda igitur mens est hac cōsolatione, ut sciamus Ministerium uerbi à deo ipso initio et institutum esse, & perpetuo conseruari. Etsi enim à condito mundo usque ad hæc tempora, horribili furore diabolus contra Ecclesiam & pios Doctores sit grassatus, ut testantur ab ipso interfecti Abel, oppreßio & persecutio populi Israelitici in Aegypto, Sacerdotes à Saule, item Esaias, Hieremias occisi, abductio & captiuitas populi, itē Baptista, Christus & Apostoli interfecti, & multa milia martyrum, tamen in hunc diem seruata est Ecclesia, & subinde omnibus ætatibus in aliorum tanquam stationem, alij doctores ad instaurandam & conseruandā doctrinæ lucē diuinitus excitati sunt.

Catalogus Doctorum Ecclesiæ.

PRodest autem ad confirmandam fidem plurimum, sæpe considerare seriem doctorum in Ecclesia dei, inde ab initio rerum, usque ad hæc tempora. Neque enim ulla religio, ut suprà dictum est, ab exordio mundi, ita continuatū ordinem doctorum habet atque Dei Ecclesia, ubi est cernere, quàm mox in aliorum locum certo ordine & continuata serie alii sint subrogati.

Ecclesia Primi millenarij.

¶ Primus Concionator in Paradiso, est ipse

se Filius dei, qui ut resurgens ex mortuis, man-
dat Apostolis, ut poenitentiam & remissionẽ
peccatorũ prædicent in ipsius nomine, ita et in
Paradiso ipse, ut summus et æternus Sacerdos
& Pontifex, ministeriũ Verbi instituens, pri-
mum per uocem legis reuelantem & arguen-
tem peccatum, Adam & Euam uocat ad pœni
tentiam. Deinde edens promißionem de Semi-
ne contrituro caput serpentis, concionatur de
Euangelio, quæ est uox annuncians gratis pro
pter Filiũ dei, remitti peccata, donari iusticiã,
Spiritum sanctum, & uitam æternam.

Ac sciendum est, Filium dei ac Spiritũ san-
ctum semper adfuisse Ecclesiæ dei, in ea docen-
da, regenda, & defendenda, sicuti clara hac de
re extant testimonia, & res ipsa docet contra
tantos furores diaboli, & tyrannorum & im-
piorum hominum, neque Ecclesiam, neq; eius
doctrinam tot seculis durare potuisse, nisi hos
custodes & defensores habuisset.

Sic Gen. 48. Iacob de Filio dei, ipsius &
Ecclesiæ eius temporis custode, ait: Angelus qui
eruit me de cũctis malis, benedicat pueris istis.
Et Esai. 63. Angelus, qui coram eo est, saluauit
eos. Item: Vbi est qui posuit in medio eius Spi
ritum sanctũ suũ. Et Esa. 59. Hoc fœdus meum
cũ eis dicit dominus: Spiritus meus qui est in te

& uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, &c.

Et ideo ueteres dixerūt, filium Dei Verbum dici, quòd cum Patribus locutus sit. Sic Tertullianus in lib. contra Iudæos cap. 2. scribit, Dixit autem Iesus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus? Et Irenæus aduersus hæreses cap. 14. Ab initio aßistens filius suo plasmati, reuelat omnibus Patrem, quibus uult, & quando uult, & quemadmodum uult pater, &c.

Primi Patres.

¶ Sic primus concionator & Doctor Ecclesiæ est ipse Filius Dei cum Spiritu sancto.

Primi millenarij Episcopus Adam cū συνήγοις filijs & nepotibus.

Deinde ab ipso Filio Dei, per editam promißionem de semine mulieris, ordinatur Episcopus & Doctor ipse Adam, qui posteritatem suam, quo tempore uixit (uixit autē 930. annis) de omnibus articulis doctrinæ cœlestis docuit.

Hic enim perfectè docere potuit quæ fuerit imago Dei, ad quam initio homo conditus fuit, quæ ipsius ante lapsum fuerit præstantia & dignitas, quid & quàm horribilis res esset peccatum, & quanta ira Dei aduersus peccatum: quanta etiam bonitas et misericordia dei, qui per filiū genus humanū ex morte, in quam sua culpa demersum sit, uellet redimere. Do-

cuit

cuit igitur, ut suo exemplo moniti, cauerent peccata, & fide amplecterentur editam promißionem de semine mulieris, per quod genus humanum per se perditum, rursus ad uitam et iustitiam æternam esset restaurandum.

Ab hoc doctore, tanquam ex fonte, omnes artes bonæ, & omnis sapientia humana profluxit. Hic primus motus cœlestium corporũ, herbarum, plantarum, animantiũ & omnium creaturarum naturas, rationem ecclesiasticæ, politicæ & œconomicæ gubernationis primum docuit: ex cuius schola, quicquid est bonarum artium & disciplinarum ac cognitionis rerum & sapientiæ, in totum genus humanum, per Patres postea est propagatum.

Huius in regenda Ecclesia sui temporis fuerunt συνεργοι filius Abel, quo ab impio fratre interfecto, in eius locum & ministerium surrogatur Seth, de quo inquit scriptura, Tunc cœptum est nomen Domini inuocari, ostendens per Cainicam ecclesiam, ueram doctrinam & ueros cultus Dei esse obscuratos, & huius ministerio, doctrinæ lucẽ apud multos esse restitutam, & rursus accensam. Hic natus est anno Adæ & Euæ 130. cum quo pater Adam uixit annos 800. Sed uero uixit 912.

Enos, qui nascitur ex Seth anno ætatis ip-

fiuę 105, à mundo condito 235, uixit 905 annis, cum hoc filio uixit pater Adam 695.

Cainam, qui anno 90 Enos naſcitur à mundo condito anno 325. uixit autem 910. annis, & cum eo pater Adam 605.

Malalahel, qui naſcitur 70. anno Kenan, anno mundi 395, uixit annos 895, & cum eo pater Adam 535. annis.

Iared, qui naſcitur anno Malalehel 65. à mundo condito anno 460. uixit autem 962. annis, & cum eo pater Adam 470. annis.

Henoch, qui anno Iared 162. naſcitur, anno à mundi condito 622. Vixit aũt annis 365, et à deo ex hac miſera ad æternam uitam uiuus translatus eſt: quo facto oſtendere uoluit deus, pijs aliã uitam expectandã, in quam ſint transferendi. Hunc autem fuiſſe præcipuũ inter hos patres Eccleſiæ doctorem, et promißionem de ſemine mulieris magno ſtudio latè propagaſſe, et contra impiam Cainicæ eccleſiæ doctrinam et idololatricos cultus, magna ſuſtinuiſſe certamina, teſtatur ſcriptura: cum eum præ cæteris Patribus ſingulari et inſigni præconio ornat. Ambulauit (inquit) cum Deo, et non apparuit.

Oſtendit quoque Epiſtola Iudæ, quàm acri ſtudio ſui ſeculi homines ad pœnitentiã ſit cohortatus, et peccata impiorum reprehenderit,

cum

quam ait, eum de futuro iudicio & æternis pœnis impiorum diligenter esse concionatum. Sic enim ibi scriptum est: Prophetauit de his septimus ab Adam Henoch, dicens, Ecce ueniet dominus in sanctis milibus suis, facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij. Cum hoc uixit Adam annis 308.

Mathusalē natus 65. anno Henoch patris sui à mundo condito anno 687. Vixit autem annis 969, quot annis nullus hominū à condito orbe, & mortuus est ipso anno diluuij. Cum hoc uixit Adam 243. annis.

Lamech natus anno Mathusalē 185, à mundo cōdito 874. Vixit annis 777, cum quo Adam uixit annis 55.

Hi nouem uiri summi, fuerunt σύνεργοι & cooperarij patri suo Adæ, in propaganda & retinenda doctrina de promisso semine mulieris, et in tradendis ueris cultibus dei, Ita Adam cum his nouem Synergis suis 930. annis Ecclesiæ Dei præfuit.

Secundi millenarij Ecclesia.

¶ Noha natus anno patris sui Lamech 182. anno à mundo condito 1056. Vixit an-

Secundi millenarij episcopus fuit Noha cum filio Sem sacerdote Dei altissimi.

nos 950, ita ut Adam in primo millenario, sic hic in secundo millenario Ecclesiæ Dei episcopus usque ad Abrahamum fuit, cum quo Noha uixit annis 58.

Est igitur & hic inter præcipuos doctores & Episcopos Ecclesiæ Dei numerandus, qui quantum contemptum & persecutionem, propter Dei doctrinam, in mundo corruptißimo, cum impios propter pœnam diluuij imminentem, ad pœnitentiam per centum & uiginti annos continuos inuitaret, sustinuerit, facile est cogitare. Quis autem explicare potest, quantos hic tantus uir dolores sustinuerit, cum totum genus humanum, aquis diluuij deleri, & se solum cum paucis seruari, ac post tantam pœnam, homines omnium malorum oblitos, rursus in impietatem & omnia scelera præcipites ferri uideret? Vixit enim post diluuium annos 350. ita ut adpareat hos Patres maiores martyres fuisse, & atrociores cruciatus sustinuisse, quàm qui gladio percußi aut igni combusti sunt.

Sem natus anno patris Nohæ 502. à mundo condito 1558. uixit annis 600. et ultra Abrahamum annos 35. cum Isaac annos 110. cum Iacob & Esau annos 50. Hunc multi existimant fuisse Melchisedechum regem Salem

lem, qui Abrahæ redeunti ex pugna, protulit panem & uinum.

Hic est primus ordo doctorum ecclesiæ dei, Patrum nempe, qui haud dubie pulcherrima Ecclesiæ lumina fuerunt, à quibus tam longo tempore, unà uiuentibus, Ecclēsia pulcherrimè per 2118. annos fuit administrata.

Ecclesia tertij millenarij.

II. Patriarchæ.

¶ Secundus ordo gubernatorum Ecclesiæ Dei est Patriarcharum. Præfuit autem Ecclesiæ Dei in tertio millenario usque ad Regem et prophetam Dauidem Abraham cum suis posteris, qui natus est ex patre Thare anno mundi 1949. uixit annos 175. Sub hoc doctore renouata est promissio de semine mulieris, liberatore generis humani: & claris promissionibus ostensum est, hunc liberatorem ex Abrahæ posteritate expectandum esse, & institutum est signum fœderis Circuncisio.

Tertij millenarij Episcopus fuit Abraham cum suis posteris, usque ad Eliam prophetam qui in medio seculorum uixit.

Isaac natus anno Abrahæ 100. anno mundi 2048. cum quo uixit Sem 110. annos. Vixit autem Isaac annos 180.

Iacob natus anno mundi 2108. Hic fuit patriarcha ecclesiæ dei, et uixit annos 147. Cum hoc uixerūt, Sem 50. Abrahā 15. annis, à quibus & à patre Isaac cœlestē doctrinā didicit.

Ioseph

Ioseph natus anno mundi 2199. Hic in Ægypto ueram doctrinam de Deo latè propagauit: uixit annos 110. Præfuerunt autem Ecclesiæ Dei duodecim Patriarchæ cum filijs et posteris suis in Ægypto annos 215.

Leui paucis annis ante Ioseph natus. Vixit annos 137. post huius mortē filij Israel fuerūt in Ægypto 121. A morte autem Leui usque ad Mosen natum, anni sunt 41. quo tempore Ecclesiæ præfuerūt Cahat filius Leui, & Amram nepos, pater Mose.

Mose natus anno mundi 2372. per hunc populus ex Ægypto est eductus, diuinitus data et publicata Lex, et edita ingentia miracula, qualia antea nunquā uisa aut audita in hoc populo erant. Hic cū fratre Aharone, qui ipso biennio maior fuit, gubernator Ecclesiæ fuit. Vixit Aharō 123. annos, Mose aūt 120. Per hunc editi sunt quinq; libri, ipsius nomine inscripti.

Iosua natus anno mundi 2414. anno ætatis Mose 42. Vixit annis 110. Præfuit populo cum Athniele post mortem Mose, annis 40. Cum hoc Ecclesiam gubernauit Eleazar filius Aharonis. His temporibus cum uarijs ido-
Iud. 1. 2 lolatricis cultibus, obscurata uera doctrina, dominum irritaret populus, miserè per hostes uicinos, cōtinuis bellis est uexatus, subinde tamē diui-

diuinitus quidam excitati sunt, per quos & uera doctrina & ueri cultus Dei, deinde etiam pax ac trãquillitas aliqua restitueretur, ut fuit Ephud, qui annis 80. præfuit. Cœpit esse dux seu Iudex populi anno mundi 2533.

Deinde Dibora prophetissa, & Barach, anno mundi 2715. præfuerunt annis 40. Sub his Iudicibus uicinæ gentes sæpe tentarunt armis delere populũ Dei, sed mirabiliter semper seruatus, & à Deo defensus est. Hi duo fuerunt iudices post Mosen anno 120. post Iosua 88.

Hos secutus est Gideon, qui 40. annis præfuit, & populum ab oppreßione Midianitarũ liberauit. Deinde ordine alij, quorum Catalogus in libro Iudicum extat. Cæterum à morte Mose usq; ad Samuelem, sunt anni 357.

Patriarcharũ gubernatio durauit annos circiter 850.

III. Prophetæ.

In tertio ordine Doctorum Ecclesiæ Dei, sunt Prophetæ, quam seriem à Samuele ordimur, sicuti & Petrus Acto. 3. facit. Cœpit aũt Samuel regere Ecclesiam & populũ Dei anno mundi 2850. & præfuit annis 10. Act. 13.

David rex & Prophetarum summus, tenet regnum & Episcopatum annis 40. cœpit regnare anno mundi conditi 2890. Sub hoc iterum renouata est promißio de uenturo semine,

&

& abolitis idololatricis cultibus, ac sublatis uarijs erroribus, qui in Ecclesiam tempore Iudicũ irrepserant, restituta est puritas doctrinæ cœlestis ac ueri cultus Dei. Conscripti præterea sunt libri Psalmorũ & Regum secundus, cum dimidio ferè primi libri. Sub hoc Rege & Propheta, gubernatio Ecclesiastica & Politica, pulcherrimè fuit constituta. Cum hoc in Ecclesiastica gubernatione fuerunt Prophetæ Nathan, & Gad, & sacerdotes Sadoch & Achimelech. Deinde ingens cœtus sanctißimorum & doctißimorum hominum, quorum monumenta in Psalmorum libris extant, ut Asaph, Haëman, Ethan, filij Chore & aliorum.

Patri Dauidi succedit filius Salomon, ab hoc sunt conscripti libri Prouerbiorum, Ecclesiastes & Cantica canticorum. Cœpit regnare anno mundi 2930. & præfuit annis 40. tandem propter idololatriam, libidines, et alia eius scelera Regnum scissum est. Hoc regnante fuit Propheta Ahias, qui de scissura Regni prædixit. Deinde alij, Azarias, Semias, Addo & Hieu, qui à Baasa rege interfectus est.

Cæterum cum per Salomonem senem, blanditijs mulierũ corruptũ, deinde ordine per impios reges Israel, Ierobeam, Nadab, Baesa, Ella, Simri, Amri & Achab, Deinde per impios

reges

regem, Iuda quoque, Rehobeam filium Salomonis & Abiam, uera doctrina de Deo, & ueri cultus Dei essent contaminati & obscurati, et horribiles idololatriæ inuectæ, excitatus est diuinitus ad repurgandam doctrinam, & eius lucem iterum accendendam, Elias Thesbites. Huic fuerunt acerrima certamina cum impio rege Achab et Iesabele regina ac sacerdotibus Baal, edidit ingentia miracula, precibus suis claudens & aperiens cœlum, suscitatis etiam mortuis, tandem cum ultra 40. annos præfuisset Ecclesiæ, & uaria pericula sustinuisset, à Domino per turbinem in cœlum translatus est, quo facto in medio seculorum (fuit enim Elias post ter millesimum annum à mundo condito) Deus testari uoluit, aliam uitam restare pijs, in quam sint traducendi.

Quarti millenarij Episcopus fuit Elias cum sequentibus Prophetis, Ducibus & Sacerdotibus pijs, usque ad Christum.

Ecclesia quarti millenarij.

¶ Eliæ surrogatur Eliseus, qui non minoribus conflictatus periculis, & editis miraculis, cum ferè 70. annis Ecclesiæ præfuisset, moritur, sub Ioa rege Israel. Cœpit autem post Eliam raptum, regere Ecclesiam circiter annum 3050. à mundo condito. Huic Prophetæ contemporanei fuerunt Micheas prior eo, cuius prophetia extat, Zacharias filius sacerdotis Ioiadæ sub Ioas rege.

Eliseo

Eliſeo ſuccedit mox Eſaias, qui non ex ſacerdotum, ſed regia tribu fuit, ideo Chriſtum in. 5. cap. ſuum patruelē appellat. Cœpit autē prophetare Eſaias circiter annū 3162. Huius contēporanei prophetæ fuerunt Ionas, Amos, Micheas, Ioel, Oſeas, Olda, Obed & Nahum, ut quidam putāt. Præfuit autem Eccleſiæ Eſaias, maximis rebus geſtis, annis circiter 80. ſub quo regnum Iſrael propter impietatem deſtructum, & per Salmanaſſar regem, in Aſſyriam translatum eſt, Eſaias autem à Manaſſe regē ſerra ſectus ſcribitur.

Ieremias incipit prophetare anno 13. Ioſiæ, qui, eſt annus à mundo condito 3315. Hic præfuit Eccleſiæ ultra 40. annos, & ultra ipſam deſolationem Hieroſolymæ, quam uidens & plurima mala & perſecutiones ſuſtinens, & prædixit & magno animi dolore uidit ſenex, abductus in Ægyptum, cum populum et principes reprehenderet, apud Taphnas lapidibus obrutus uitam finiuit. Huius contemporanei fuerunt Sophonias, Habacuc, Abdias.

Ieremiā ſenem uidit & audiuit Daniel adoleſcens, qui anno tertio regni Ioiakim, migrat in Babylonem cum rege & ſocijs, anno mundi 3344. Maximis autem rebus in Babylone per ipſum, tum in Eccleſia, tum in Politia geſtis

stis, & late sparsa uera doctrina de Deo, in isto populo, docuit circiter nonaginta annos, prædixit regnorum mutationes, et certum tempus ostendit, quo promissus Liberator humani generis esset uenturus.

Ezechiel incipit prophetare anno 5. spontaneæ migrationis regis Iechaniæ.

Haggeus & Zacharias prophetant anno 2. Darij regis, qui est initium hebdomadarum Danielis, anno mundi conditi 3443. Hos sequitur Malachias Prophetarum postremus, quem Hebræi Esram esse putant, neq; enim de hoc Propheta certiora extant.

Hic est tertius ordo doctorum Ecclesiæ dei, Prophetarum nempe, quorum gubernatio durauit annos circiter 600.

IIII. Duces & Sacerdotes.

In quarto ordine doctorũ Ecclesiæ sunt Duces & Sacerdotes post solutam captiuitatem Babylonicam, usq; ad Christum filium Dei, regem & sacerdotem æternum populi Dei.

Mardocheus, qui in spontanea migratione Babyloniam cum Iechania uenit, exaltatur 12. anno Assueri, qui est annus mundi 3453. uixit, ut Philo refert, annis 197.

Iesus, qui anno ante Christum natum 536. cum principe Zorobabel reuersus est in Iudæã,

præfuit ſacerdotio annis 36. Hunc Philo putat autorem eſſe libri Iudith.

Ioachin ſucceßit patri, & præfuit 48. annis, quidam tantum 28. annos ponũt: huic tribuunt hiſtoriam Heſter.

Cum his ſimul præfuerũt Eſras, qui anno 7. Artaxerxis, qui eſt ann⁹ mũdi 3505. ad reſtaurationẽ Hieroſolymæ miſſus eſt cum populo.

Deinde Nehemias, qui anno 20. Artaxerxis ad ædificandam Hieroſolymam mittitur, hunc putant uixiſſe ultra centum & uiginti annos, ut eſt cernere in ipſius hiſtoria: attingit enim Alexandri Magni tẽpora, & Iaddo ſacerdotẽ cap. 12. nominat, qui Alexandrũ in urbem Hieroſolymam recepit. Ac quidem hoc adhuc uiuente, ſummi Pontifices ſeu Sacerdotes ſtatim ceperunt Sacerdotio & autoritate ſua ad quærendam potentiam abuti, ideo grauiter ab Nehemia reprehenſi ſunt. Et ſecuta poſtea eſt magna confuſio & tyrannis in dignitate ſacerdotali, cum non tam templo & Deo, quàm acquirendis opibus & honoribus ſeruirent, & uicinorum Regum ſtudia aucuparent: itaque talia monſtra omitto, & tantum pios commemorabo, per quos uera doctrina de Deo eſt conſeruata & propagata, inter quos fuerunt Simon & Eleazarus fratres, filij Oniæ. Sub hoc Eleazaro

[..]ro plures quàm centies mille Iudæi in Ægy-
pto captiui, à Ptolemæo Philadelpho donati
sunt libertate, cum pro singnlis capitibus λύ-
τρα 12. coronatos rex ipse de suo persoluisset.

Ab hoc rege & septuagintaduo uiri ex Iu
dæa in Ægyptum uocati sunt, qui ueteris Te-
stamenti libros in Græcam linguam transtule-
runt, quorum uersio 70. interpretũ adhuc uo-
catur, quos magnificis muneribus donatos, re
misit domum. Hanc autem uersionẽ scribunt
absolutam & perfectam anno 17. Ptolemæi
Philadelphi, qui est annus mundi 3694.

Simon Iustus annis 28. præfuit. Hunc plu-
ribus uerbis & magnificis prædicat Iesus Sy-
rach, quem huius Simonis tempore apparet li-
brum suum scripsisse, qui Ecclesiasticus appel-
latur, circa annum mundi 3735. Huic Simoni
tribuitur Thalmud Iudæorum.

Huius Simonis filij Oniæ maioris, pietas et
sanctitas commendatur lib. 2. Machab. cap. 3.
qui et fraude fratris Menelai, cui nomen Iunio
ris Oniæ erat, quiq; sacerdotium expulso fra-
tre tertio Iasone, ui occupauerat, interfectꝰ est.

Eo tẽpore fuit Matathias sacerdos uice Ioa
rib Hierosolymita, Machabeorũ pater quo An
tiochus Epiphanes, horribiliter cõtra Iudæos
grassabatur, sicuti hæc in libris Machabeo-

rum copiose describũtur. Cœpit autem regnare Antiochus anno regni Græcorum 137. anno à mundo condito 3789. Huius Matathiæ et ipsius filiorum pietate et uirtute, Antiochi Epiphanis sæuitia repressa est, et uera doctrina, & præcepti in lege cultus conseruati sunt. Gesta hæc sunt ante Christum natum 165. anno.

Iudas Maccabæus filius Matathiæ, primus Hasmoneorum seu Simonensium, præfuit in ducatu annis 6. cuius & ipsius fratrum res gestæ descriptæ sunt lib. 1. Maccab. Quia autem, ut à Daniele prædictum erat, eo tempore miserrimè populus adfligebatur, ideo diuinitus excitati sunt Maccabæi, ut hoc modo populus subleuaretur auxilio paruulo, Daniel. 11.

Iudæ Maccabæo succedit frater Ionathas, qui præfuit annis 18. ad hunc unà cum ducatu propter sacerdotum improbitatem et negligentiam, rediјt dignitas sacerdotalis. Ianneus enim secũdus Hircanus, postremus dux ex stirpe Dauidis fuit, ita domus Dauid fit truncus putris, unde exoritur uirga Iesse, Esaiæ 9. Sacerdotiј aũt dignitatẽ suscepit Ionathas anno principatus sui 9. ante Christum natum 150.

In Ionathæ crudeliter à Triphone cum duobus filiјs occisi, locum, eligitur ipsius frater Simon tertius Matathiæ filius, anno ante Christum

ſtium natū 140. cuius res geſtæ deſcriptæ ſunt lib. 1. Maccab. à cap. 14. uſque ad finem libri. Præfuit annos circiter 8. Virtute igitur et pietate quatuor Aſmoneorum patris Matathiæ et trium filiorum, & politia & uera doctrina et mandati cultus dei in hoc populo, uſq; ad Christum, aſſerti et defenſi ſunt, ut ſciri poſſet, quando & ex quo populo Meßias promiſſus, expectandus eſſet.

Simoni patri ſuccedit in Sacerdotio et principatu Ioannes Hircanus Maior, cuius mentio fit in fine 1. lib. Maccab. Hoc imperante ortæ ſunt ſectæ Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſeorum, per quas doctrina iterum obſcurata fuit. Magnas res hic geßit. Nam Samariā cum templo Garizim, tempore Alexandri Magni extructo, euertit, Idumeam et multa Syriæ oppida cepit, &c. præfuit annis 31. & cœpit imperare anno mundi 3830. Poſt hunc uariæ cōfuſiones & mutationes ſubinde ſunt factæ, & gens Iudaica continuis bellis grauiter eſt uexata. In his tantis & diuturnis malis, ac tot ſectis exortis, doctrinæ cœleſtis cuſtodia apud paucos fuit, uidelicet apud Mathan auum Mariæ uirginis, qui ante Chriſtum natus eſt, annos circiter centum.

Deinde Ioiakim, qui et Eli, patrem Mariæ

uirginis, qui ante Christum natus est anno sexagesimo, illo ipso anno, quo à Pompeio Hierosolyma est capta, & Iudæa Romanis tributaria facta, ac in prouinciæ formam redacta est, ut constaret adesse tempus aduentus Meßiæ, de quo Iacob patriarcha uaticinatus erat, dicens, Non auferetur sceptrum, &c.

Cum his fuerunt eodem tempore custodes ueræ doctrinæ Simeon, Anna prophetissa, Zacharias, Elisabet & plerique alij, ipsa uirgo Maria mater Domini.

In hoc quarto ordine Ducum & Sacerdotum à soluta captiuitate usque ad Christum, gubernatio Ecclesiæ durauit annis plus minus quingentos.

Ecclesia quinti et ultimi millenarij.

Christus et Apostoli.

Quinti & sexti millenarij summus Pontifex & sacerdos in æternum, est Iesus Christus filius Dei cum Apostolis, Episcopis, Pastoribus, quos ipse sedens ad dextram Patris mittit omnibus ætatib.

¶ Quintus & postremus ordo Doctorum Ecclesiæ est, quem à Ioanne Baptista, qui biennio docuit, & ab ipso Christo filio Dei, Rege & æterno Sacerdote populi Dei ordimur, qui ex æterno Patre, æternus filius, assumpta humana natura, natus est ex Maria uirgine anno Herodis (ut quidam putant) tricesimo, & Augusti 42. Alij contendunt natum anno Herodis 34. anno mundi 3962. Qui anno tricesimo

mo à Ioanne baptizatus, uocem euangelij ex sinu æterni Patris depromptam, palàm iuxta promissiones editas, in populo Iudaico prædicare cœpit, editis ingentibus miraculis.

Deinde post triennium sese uictimam pro redimendo genere humano offerens, passus & mortuꝰ anno Tiberij 19. tertia die ex mortuis uictor et triumphator resurrexit, & ascendēs in cœlum, quinquagesimo, ab eo quo surrexerat die, sedens ad dextram Patris, Spiritum sanctum ad accendendam & late spargendam Euangelij lucem, in Apostolos effudit.

In hunc quintum ordinem referendi sunt Apostoli, Prophetæ & Euangelistæ, Episcopi, Pastores et doctores, quos subinde ad Ministerij conseruationē omnibus seculis, filius Dei excitat.

Primi in hoc ordine sunt Apostoli, atque hic considerandum est, in quæ loca, & quàm late in omnes orbis terrarum partes, uox Euangelij sparsa sit, & qui ordine in quibus locis illis Episcopi, pastores & doctores successerint.

I. Apostoli.

Petrus Apostolus ex uico Bethsaida Galilææ, frater Andreæ, cum in Hierosolyma, Ioppe, Cæsarea, Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia Euangeliū sparsisset, scribitur ue

nisse Romam, secundo anno Claudij, atque anno ultimo Neronis, à Nerone affixus esse cruci. Docuit igitur post resurrectionem Christi annos 35.

Paulus Apostolus ex persecutore & blasphemo conuersus est ad Christum, eodem anno quo Christus ascendit ad cœlos, circa finem nempe anni 19. Tiberij, quo etiam statim euangelium in Damasco urbe docere cœpit. Deinde, ut ipse in Galatis refert, abijt in Arabiam, inde denuo reuersus Damascũ. Postea per magnam orbis partem Euangelij lucem accendit, perlustrata Iudæa, Syria, Cilicia, Cypro, Pamphilia, Lycaonia, Phrygia, Galatia, Mysia, Ionia, Macedonia, Græcia, Achaia, postea uinctus Romam ad Cæsarem Neronem mittitur, ubi biennio in custodia fuit. Deinde dimissus, per alios decem annos Euangelium Christi docuisse, & anno 13. Neronis, post Christum uerò à mortuis excitatum, anno 36. iussu Neronis interfectus esse scribitur. Docuit igitur Euangelium annos 36.

Andream fratrem Petri S. Hieronymus scribit Scythis & Sogdianis & Sacis prædicasse Euangelium.

Iacobum Iustum fratrem domini, Hierosolymis Ecclesiæ præfuisse triginta annis, id est, usque

que ad septimum Neronis annum, & iussu filij Annæ, qui tum summus Pontifex erat, præcipitatum de pinna templi, lapidibus obrutum, occisum fullonis fuste.

Iacobum autem Zebedei filium, fratrem Ioannis Euangelistæ, prædicasse Euangelium tribubus quæ in dispersione erant. Hic cum Euangelium circiter 12. aut 13. annos prædicasset, occisus est ab Herode Agrippa, ut refert Lucas cap. 12. Act.

Matthæum referunt lucem Euangelij accendisse & propagasse in Æthiopia.

Bartholomeum in India.

Matthiam in altera Æthiopia, ubi est irruptio Apsari & Hyßi portus.

Philippum in Phrygia.

Thomas scribitur docuisse Euangeliũ Parthos, Medos, Persas, Germanos & Hyrcanos, Bactros & Magos, ut refert Hieronymus.

Idem scribit Simeonem Cananæum, cognomento Iudam, fratrem Iacobi Iusti, successisse Hierosolymis in Episcopatu fratri Iacobo, & uixisse annos uiginti supra centũ. Eusebius uerò ex Egesippo Simonem Cleophæ filiũ Iacobo surrogatum, & hunc tot annis uixisse, ac sub Traiano cruci affixum scribit, quem eundem esse intelligo.

Ioannes Apostolus filius Zebedæi, in Epheso præfuit Ecclesiæ, de quo ita Irenæus refert: Ecclesia quæ est apud Ephesum, à Paulo quidem fundata est, à Ioanne uerò ædificata, qui permansit in ea usq; ad tempora Traiani. Hunc scribit Hieronymus anno 68. post paßionem domini Ephesi mortuum, & ibidem sepultum.

II. Apostolorum discipuli.

Habuerunt autem & frequentes scholas et plurimos discipulos apostoli, et præcipuè Paulus et Ioannes, quorum cùm in Actis, tum in epistolis Pauli frequēs fit mentio. Inter hos primi fuerunt, Barnabas et Simon, qui uocabatur Niger, Lucius Cyreneus & Manaben, Iudas, Barsabas et Silas. hos Lucas Act. 13. & 15. uocat Prophetas & doctores, inter quos referūt Lucium Cyreneum Euangelium primum docuisse ad Danubiū in Augusta Tiberina, quam Ratisbonam uocant, Marcum autem Pauli discipulum in Passau oppido ad Danubium sito, Crescentem Moguntiæ & in Gallijs, Clementem Meti, Trophimum Arelati, Nathanaelem in Gallia apud Bituriges aut Treuiros, Lazarum resuscitatum Maßiliæ.

Lucas Paulo Apostolo coniunctißimus, cuius & Euangelium, quod eum ex Paulo & aliorum Apostolorum relatione scripsisse certum

tus est, & Acta apostolica extant, refertur à Hieronymo uixisse 84. annos, & sepultus esse Constantinopoli.

Marcum scribūt ex Petri ore suum scripsisse Euangelium, et in Ægypto præfuisse Ecclesiæ Alexandrinæ, & ibidem mortuum octauo Neronis anno, 33. annis post Christi paßionē.

III. Episcopi.

Timotheus Ephesi, Titus Cretæ Episcopus fuit. Deinde sunt quorum mentio fit in Actis et Epistolis Pauli, Apollos, Aristarchus, Caius Derbeus, Iason, Erastus, Sosipater, Tichicus, Secundus, Tertius, Quartus, Syluanus, Sosthenes, Epaphras, Iesus Iustus, Demas, Archippus Colossensium Episcopus, Eubulus, Pudens, Linus, Artemas, Zenas, & Dionysius Areopagita Atheniensium Episcopus.

Post hos sunt quoq; Apostolorum discipuli & contemporanei.

Ignatius Antiochenæ ecclesiæ Episcopus obiectus bestijs, qui passus est anno 11. Traiani post Christi ascensionem 76.

Polycarpus Iohannis apostoli discipulus, Episcopus Smyrnæ, anno ætatis suæ 86. ibidē sub Marco Antonino & Lucio Vero imperatoribus, igni exustus.

Cum hoc uixerūt Papias, Aristiō, Aristides,

Quadratus, et quidā alij apostolorū discipuli.

Circa eadē tempora, aut certè nō longè post, nempe à nato Christo plus minus 160. fuerūt Melito Asianus, Episcopus Sandensis, Theophilus Antiochensis Episcopus, Apollinaris, Dionysius Corinthiorum, Philippus Cretensis, Egesippus, Iustinus philosophus, Modestus, Musanus, & nonnulli alij, quorum paucorum monumenta extant: recensentur autem scripti eorum libri partim ab Eusebio, partim ab Hieronymo.

Irenæus auditor Polycarpi, Lugdunēsis ecclesiæ presbyter, Photino eius ecclesiæ Episcopo, nonagesimo uitæ suæ anno, unà cū multis alijs Galliæ martyribus interfectis, in episcopū Lugdunensem constituitur. Floruit sub Commodo principe circiter annos post Christū natum 170. uel 180. fertur sub Maximino interfectus esse Sirmij. Vixit igitur ultra annos 80.

Magna fuit persecutio eo tempore Ecclesiæ, quæ multos annos durauit. Dolebant enim gentes reprehendi & aboleri ritus patrios colendi deos. Quare paßim in multis regionibus & locis interficiebantur Christiani, & in primis Doctores & Ecclesiarum episcopi. In his autem tantis furoribus et diaboli sæuitia, quosdam pios Doctores conseruauit Deus, & alijs

pro-

prorogauit uitam, ut per eos puritas doctrinæ retineretur & propagaretur, inter quos fuerunt Polycarpus, Irenæus & quidam alij.

Circa, aut non longè post illa tempora uixerunt, Theodotion Ephesinus, Rhodon, Clemēs Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Pantenus, Milciades, Apollonius, Serapion & Polycrates, de quorum uita & monumentis plenius referunt Eusebius & Hieronymus. Quibus omnibus uaria certamina, cum plurimis hæreticis fuerūt, uidelicet cū Marcione, Montano, Valentinianis, Hermogenianis, & alijs plurimis.

Circa annum post Christum natum ducentesimum, sub Cæsaribus Seuero Pertinace, et Antonino Caracalla floruit Tertullianus Apher, et Carthaginensis. huius scripta extant, quibus adeò delectatum Cyprianum scribit Hieronymus, ut nunquam absque Tertulliani lectione unum diem prætermitteret. Scribunt hunc uixisse usq; ad decrepitam ætatem.

Origenis pater Leonides, mota à Seuero imperatore, anno imperij ipsius 10. persecutione aduersus Christianos, plexus capite, Origenem cum sex fratribus & matre uidua, superstites pauperes relinquit, annos natum circiter decem & septem, ut refert Hieronymus. Rem enim familiarem ob cōfeßionem occupauerat

fiscus

fiscus. Huic anno ipsius decimo octauo ab Episcopo Alexandriæ Ægypti κατηχήσεως ministerium commissum est. Ex huius schola plurimi Martyres prodierunt.

De huius uita, moribus, exercitijs et scriptis libris uide Eusebium in Histo. Eccle. lib. 6. Vixit usq; ad Gallum & Volusianum, id est, usq; ad 69. ætatis suæ annum, & mortuus est Tyri, in qua urbe & sepultus est. Floruit post ducentesimum annum à Christo nato. Cum hoc uixerunt Ammonius & ipse Alexandrinus, Ambrosius, Tryphon, Minutius Felix Romanus, Beryllus, Hippolytus, Alexander episcopus Cappadociæ, Iulius Africanus, Gregorius Neocæsariensis Ponti episcopus, Dionysius Alexandriæ urbis episcopus, Pamphilus presbyter Eusebij Cæsariensis episcopi necessarius, qui ferè omnes Origenis discipuli fuerunt.

Cyprianus Afer episcopus Carthaginensis, passus est sub Valeriano & Galieno principibus, anno à nato Christo 260. Cum hoc uixit Cornelius Romanæ urbis episcopus, paulò ante Cyprianum martyrio coronatus, Pontius item diaconus eius.

His temporibus uariæ hæreses sunt exortæ, uidelicet Sabellij, Nouati, Samosateni, Nepotiani, Manichei: contra quos errores multi pij

Docto

Doctores excitati sunt, ut taxarētur ac refutarentur: uidelicet, ad Sabellij, Nouati & Nepotis errores refutādos excitat⁹ est Dionysi⁹ Alexandrinus Origenis discipulus, de quo suprà. Samosatenū refutauit Malchiō presbyter Antiochenæ ecclesiæ, qui eruditionis et eloquētiæ magnā laudē habuit. Floruit sub Claudio et Aureliano post Christū natū circiter 275. annum.

Manichei errores taxauit Archelaus episcopus Mesopotamiæ Syro sermone: refutatio postea in Græcum uersa est. Fuit enim Manes Persa. Floruit Archelaus sub Probo imperatore, circiter annū 284. post Christū natū. Quo tempore & Anatholius Alexandrinus uixit.

Arnobius, Pierius Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Melitius, Lucianus Antiochenæ ecclesiæ presbyter, Phileas Ægyptius clari uiri & doctores Ecclesiarum, circa annum 300. à nato Christo, sub Diocletiano & Maximiano uixerunt, quorum Phileas & Lucianus in persecutione Diocletiana, martyrio ornati sunt. Hoc tempore et Lactantius Firmianus claruit, discipulus Arnobij.

Sub Constantino magno, anno post Christū natū plus min⁹ 320. insignes doctores ecclesiæ fuerunt Eusebius Cæsareæ Palæstinæ episcopus, cui⁹ præclara monumēta extāt, Rhetitius

Eduorum episcopus, Methodius, qui Origenis: deinde Athanasius urbis Alexandrinæ episcopus, qui Arij errores refutauerunt, Eustathius Pamphilius Antiochiæ episcopus, Iuuēcus Hispanus presbyter, Antonius Monachus, Victorinus Afer.

Concilium Nicenum.

Hoc tempore celebratum est Concilium Nicenum cōtra Arium, anno nempe 14. Constantini, à Christo nato 326. in quo trecenti decem & octo Episcopi conuocati fuerunt. Inter hos fuerunt, uiri clari Paphnutius, Spiridion Cypri episcopus, Eustathius Antiochenus, Alexander Alexandriæ episcopus, Iacobus Antiochiæ Mygdoniæ clarus edēdis miraculis, Paulus Neocæsariensis martyr, duabus manib' in persecutione Maximiani exustis.

Constantio filio Constantini Magni, imperante, anno à nato Christo plus minus 350. doctores Ecclesiæ uixerunt, Theodorus Heracleæ Thraciarum episcopus, Eusebius Emesenus Episcopus, Triphylius, Lucifer, Acatius, Serapion, Hilarius urbis Pictauorum Aquitaniæ episcopus: cuius de sancta Trinitate contra Arianos, et alij plurimi utiles libri extant.

Anno 19. Constantij nascitur S. Augustinus, & circa eadē tempora S. Martinus episcopus baptizatus est à sancto Hilario episcopo.

Sub

Sub Valentiniano & Valente fratribus imperatoribus, circiter annum post Christum natum 380. doctores Ecclesiæ claruerũt, Effrem Edissenæ ecclesiæ Diaconus, Damasus Papa, Apollinaris, Didymus Alexandrinus, captus oculis à prima ætate, Basilius Magnus Cæsareæ Cappadociæ episcopus, qui Eunomij errores refutauit, Gregorius Naziansenus, quem Eusebius uocat fratrem Basilij. Hunc Naziansenum Hieronymus uocat præceptorẽ suum, à quo sacras literas didicerit, & in Catalogo quoque alium Gregorium Nisenum recenset Hieronymus, quem fratrem Basilij affirmat sibi & Gregorio Nazianseno legisse libros ab ipso contra Eunomium scriptos.

Eutropius monachus et presbyter, Cyrillus episcopus Hierosolymæ, Epiphanius Cypri Salaminæ episcopus, Euagrius Antiochiæ episcopus, Gelasius Cæsareæ Palestinæ episcop9, Maximus Episcopus Constantinopolitanus, Ambrosius episcopus Mediolanensis, Prudentius.

Sub Gratiano, Theodosio Magno & eius filijs Arcadio & Honorio imperatoribus, anno post Christũ natum circiter 400. insignes Doctores Ecclesiæ fuerunt S. Hieronymus patre Eusebio natus, oppido Stridonis: Ioannes monachus, & presbyter Damasenus, Sophro

nius, Audentius, Ruffinus, Iohannes Chrysostomus episcopus Constantinopolitanus, Theodoretus Cyri episcopus.

Concilium Constantinopolitanū

Cæterum obseruandum hoc loco est, anno Gratiani tertio, secundam synodum Constantinopoli fuisse, in quo Macedonij error condemnatus est, qui negabat Spiritum sanctū Deum esse. Fuit & hoc tempore Seuerianus, qui propter eloquentiam & conciones ad populum, præcipue laudatur. Item Theodorus Monachus, Iohannes Caßianus, Lucianus presbyter ecclesiæ Hierosolymitanæ. S. Martinus episcopus Turonensis, Seuerus Sulpitius.

S. Augustinus episcopus Hipponensis, diuinitus ad Pelagianorum et Manicheorum furores refutādos excitatus: mortuus est cū à Vandalis Hippo Vrbs obsideretur, anno à nato Christo circiter 436. anno ætatis suæ 75. Paulinus presbyter discipulus S. Augustini, Orosius, Niceas, Simplicianus Ambrosij successor in Episcopatu. Isidorus senior, Maximus Episcopus Taurinensis.

Sub Theodosio iuniore imperatore, circa annum à Christo nato 430. Ecclesijs præfuerunt Poßidonius Afer episcopus Calamensis, Celestinus papa, cuius iussu Cyrillus episcopus Alexandrinus concilium Ephesinum coegit, in quo

quo à ducētis Patribus dānatus est Nestorius, qui duas personas in Christo fingebat, unam hominis, alteram Dei: & asserebat Mariam non Dei, sed hominis tantum matrem esse. Celebrata est hæc Synodus anno Theodosij iunioris 10. Anno à nato Christo 437.

Concilium Ephesinum. Nestorius.

Hoc tempore uixerunt Sozomenus & Socrates, rerum Ecclesiasticarum scriptores, ex quorum & Theodoriti libris, per Epiphaniū Scholasticum uersis, Caßiodorus compendiū historiæ contexuit, cui à tribus autoribus, Tripartitæ nomen fecit.

Deinde Sedulius, Philippus auditor S. Hieronymi, Vincentius, Paulus presbyter, Isaac presbyter Antiochenæ ecclesiæ, qui Nestorianos & Eutychianos errores refutauit. Eucherius episcopus Lugdunensis, Primasius, Hilarius Arelatensis episcopus.

Sub Valentiniano, Martiano, Leone, Zenone & Anastasio imperatoribus, circa annum à Christo nato 500. claruerunt doctores Ecclesiæ, quorum Catalogus iam sequitur. Obseruandum enim est, anno 2. Martiani, à Christo nato 456. Romam à Vandalis captā, & biennio post, Conciliū Chalcedonēse celebratū, in quo Eutyches hæreticus damnatus est, qui asserebat, Christum post assumptā humanam naturā,

Concilium Chalcedonense. Eutyches.

non ex duabus naturis existere, sed solam in eo diuinam manere.

Fuerunt igitur hoc tẽpore uiri illustres, Proterius Episcopus Alexandrinus, Paschasius, Leo papa, Petrus Rauennates, Flauianus episcopus Constantinopolitanus, Gelasius papa, Gennadius Maßiliẽsis ecclesiæ presbyter, qui omnes Eutichetis errores taxauerũt. Prosper, Saluianus, Sidonius, Fulgentius Apher, patria Carthaginensis, episcopus Ruspensis, Boetius uir doctißimus, & pleriq; alij.

Sub Iustino, Iustiniano, & Iustino iuniore imperatoribus, post natum Christũ circiter annum 540. Caßiodorus Monachus, Arator.

His succeßit Gregorius Magnus, primus eius nominis papa, qui scribitur inijsse pontificatum anno post Christum natum 619.

Huius temporibus non ita doctrinæ puritas in Ecclesia fulsit, sed ualde humanis traditionibus fuit obscurata. Nam Monachatus, cũ multiplicibus superstitionibus, uehementer auctus est, & Gregorij ætatem secutæ sunt maiores tenebræ. Cumulata est inuocatio mortuorum sanctorum, corpus Christi cœpit offerri pro mortuis, interdicta sunt sacerdotibus connubia, adstricta uota Monastica, cõfirmata est superstitio de purgatorio, & multiplices errores

pes in Ecclesiam per superstitiosos homines, ignorantes doctrinam de fide, & filio Dei, introducti sunt.

Atq; eo quidem tempore, anno Christi nempe 630. cum paulò antè sub Phoca imperatore primatus & tyrannis Papæ esset stabilitus, horrenda Mahometica secta in Asia exorta est, quæ sparsa & propagata, ut postea in Papatu quoq; factum est, in multis locis & regionibus doctrinam de Deo corrupit, obscurauit, & deleuit.

Origo Mahometis.

Sequuntur igitur Gregorij tempora, magna Monachorum agmina, quorum scriptis plus tenebrarum quàm lucis in Ecclesiam inuectum est. Recenseo igitur tantum saniores, in quibus aliquid iudicij & eruditionis fuit, quorum tamen aliqui, propter confusionem doctrinarũ, quæ illo tempore fuit, multũ erroris habuerũt.

Isidorus iunior episcopus Hispalensis multis scriptis libris claruit anno Domini 630. Deinde Beda presbyter et monachus Anglus, cuius plurima et utilia opera extant. Mortuus est anno ætatis suæ 72. sub Leone imperatore, anno Domini 732.

Alcuinus Bedæ presbyteri auditor, præceptor Caroli Magni imperatoris, uixit anno domini 770.

Paulus Monachus Caßinensis cœnobij. Hunc iussu Caroli Magni scribunt, constituisse Historias & Lectiones per totum annum singulis festiuitatibus Sanctorum congruentes.

Haymo tertius episcopus Halberstatensis, auditor Alcuini, quem in omnes ueteris & noui Testamenti libros commentarios scripsisse constat: moritur sub Ludouico imperatore filio Caroli Magni, anno domini 834. Cum hoc Rabanus primum abbas Fuldensis, deinde sextus episcopus Moguntinus uixit, qui & ipse auditor Alcuini fuit, & in omnes Biblicos libros commentarios edidit. Mortuus est anno Domini 855.

Huius auditor Strabus fuit, quem primum Glossam, quam uocāt Ordinariam, ex patrum scriptis collegisse scribunt, quæ postea ab alijs, subinde additis sententijs, aucta est.

Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, huius plurima sunt scripta. Claruit sub Henricho imperatore tertio, anno Domini 1080.

Sigisbertus monachus, quem cōstat fuisse uirum eruditum, id quod & eius Chronicon testatur, uixit anno Domini 1110.

Bernhardus abbas Clareuallensis primus, ordinis Cistercienſis, natione Burgundus, in qua multum lucis ueræ doctrinæ fuit, habuit tamē

&

& suas tenebras,prout illa fuerunt tempora: uixit anno Domini 1140.Circa quæ tempora & Hugo presbyter & monachus S.Victoris Parisiensis,et Gratianus Decretorum compilator, Petrus Comestor Magister historiæ Scholasticæ,Petrus Lombardus Magister Sententiarum,Richardus monachus,fuerunt.

Abbas Ioachim claruit sub Henricho sexto,anno Domini 1200.

Hugo Cardinalis qui ueterum doctorum Ecclesiasticorum uestigia secutus,in omnes ueteris et noui Testamenti libros commētarios edidit,& mediocriter docet:uixit sub Friderico imperatore secundo,anno Domini 1240.

Bonauentura,inter cæteros eius temporis scriptores præcipuus, floruit anno Domini 1283.quo tempore & Albertus Magnus episcopus Ratisbonēsis uixit.Circa quæ tempora & Thomas de Aquino, Alberti Magni auditor & discipulus fuit.

Nicolaus Lyra,cuius in tota Biblia commentarij ualde utiles extant,uixit anno domini 1320.& eodē tempore Guilhelmus Ockam Anglus,Ioannis Scoti discipulus:quorum & aliorum plurimorum Monachorum scriptis, cùm genera doctrinæ,Euangelium & philosophia,confusa essent,superstitiones confirma

tæ, & in immensum auctæ, ac maiores tenebræ in Ecclesiam inuectæ sunt.

Interim tamen Deus aliquos pios doctores semper excitauit, qui superstitiones taxarent, et doctrinam repurgarent: ut illis temporibus, anno nempe domini 1340. Ioannes Taulerus, & postea anno Domini 1420. Ioannes Hus, & eodem tempore Ioan. de Gerson fuerunt. Deinde Ioannes de Kaisersberg, Vuesselus, et hoc postremo tempore per Reuerendũ uirum dominũ Doctorem Martinum Lutherum multiplices errores in Ecclesia taxati sunt, & doctrina Ecclesiæ repurgata est.

HVnc Catalogum doctorum ideo contexui, ut appareat explicatio dicti Paulini Eph. 4. Christus ascendens in altum, dedit alios quidem Apostolos, alios uerò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios Pastores ac Doctores, ut, quanquam omnibus seculis diabolus & impij homines persequantur Ecclesiam, & interficiant pios Doctores, & uera Ecclesiæ membra, ita ut multi sæpe dubitent, an mansura sit Ecclesia, tamen credamus filium Dei sedentem ad dextram Patris, excubare pro Ecclesia corpore suo, eam regere, defendere, & conseruare ministerium Euangelij, excitatis omnibus seculis pijs Doctoribus ad restaurandam, propagandam

gandam & conseruandam cœlestem doctrinā, ut uoce Euangelij colligatur Ecclesia, quæ sit æternum domicilium dei et hæreditas filij dei, sicut in Psalmo dicitur, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.

Vbi enim ministerium non conseruatur, neque subinde doctrina repurgatur, ibi necesse est infinitos oriri errores. Extincta enim uera luce doctrinæ de Deo, & uero cultu Dei, gentes uaria numina commenti sunt, & portentosos deos colere cœperunt. Hinc præter Iouem, Venerem, Martem, Bacchum, Cererem, Dianam & ceteros, pudendi & abominandi Romanorum dij sunt, Sterculius, Cloacinus, Pauor, Pallor, Rubigo, Febris, Fornax, Virginensis, Subigus, Prema, Iugatinus, Domiducus, Partunda, Priapus, & tot deorum monstra, ut Augustinus referat ultra triginta millia deorum et dearum à gentibus culta.

Ita apud gentem Iudaicam, cum uera doctrina obscurata esset, in uarios errores prolapsi sunt, & ipsi sine mandato Dei alios atq; alios cultus commenti sunt. Cœperunt etiam deserto uero Deo, colere gentium deos, Bal, Astaroth, & adorare militiam cœli, & offerre liberos charissima sua pignora.

Neq; uerò minores errores hoc tēpore apud

aduersarios sunt, quàm olim apud gentes uel Iudæos fuerunt. Postea quàm enim uera doctrina de Deo et ueri cultus Dei, multis superstitionibus & humanis traditionibus corrupti, et ueluti sepulti sunt, Monachi, ociosum & ignauum hominū genus, subinde superstitiones auxerunt: quas quia Episcopi & Sacerdotes uident esse quæstuosas, irretitis simul regum & principum animis (quorū pauci uerā religionem curant, aut magna ex parte omnes religiones fabulas esse putant) illorum armis & præsidijs suos errores tuentur & stabiliunt.

Hinc certum est, ut loco ueri Dei, cui soli inuocatio debetur, inuocentur mortui sancti, à quibus tanquam à Deo ipso petuntur in miserijs & ærumnis leuamina & auxilia.

In mari periclitantes à Nicolao opem petunt, pestē arcent Rochus & Sebastianus: milites, Georgium quasi Deum tutelarem habent: febrim pellit Martinus inuocatus: dentium dolorem Dorothea, oculorum Otilia: incendia restingunt Florianus & Laurentius. et nullum ferè morbi genus est, cui pellendo non sit excogitatus mortuorum sanctorū aliquis: unde superstitio in tantum creuit, ut ueri Dei inuocatio propémodum tota sit abolita, et eius loco mortui sancti tanquam dij colantur.

Deinde

Deinde missarũ abominatio quoq; propter quæstũ creuit. Dicunt se pro redemptione animarum, pro spe salutis (sicuti sonant uerba Canonis) in missa offerre filium Dei: cum id opus nõ sit ullius creaturæ, sed solius filij dei, qui se semel pro peccatis & redemptione nostra obtulit, et propter iusticiam nostram resurrexit.

Preterea sunt multi alij infiniti errores, qui, nisi Deus singulari bonitate Euangelij doctrinam subinde repurgaret et instauraret, perpetuas tenebras orbi terrarum inducerent. Seruat igitur ministerium Deus, et per hoc ex humano genere quosdam ad æternam uitam uocat & sanctificat.

An Patres et Concilia possint errare.

SEd hic quæritur, cum diuinitus seruetur ministeriũ, an etiam errare poßint, qui ministerium gerunt? Nam si tales errant, uidetur frustrà ministerium seruari. Inde sunt uoces illæ, Ecclesiam et Concilia nõ posse errare: quia regantur à Spiritu sancto. & illud Pauli 1. Timot. 3. Ecclesiam esse columnam & stabilimentum ueritatis. Ergo uolunt, in Ecclesia non posse hærere aliquos errores.

Hic iactatur & dictum Augustini, Euangelio non crederẽ, nisi me Ecclesiæ catholicæ moueret

ueret autoritas. Hinc contendunt aduersarij, eos qui in ministerio Ecclesiæ sunt, ut est Romanus pontifex, Episcopi, Cardinales, Patres & Concilia, non posse errare, & maiorem esse Ecclesiæ, quàm Euangelij & uerbi Dei autoritatem.

Ad quæ breuiter respondendum est, Verißimum & certißimum esse, illum cœtum seu Ecclesiam, quæ fundamentum Apostolorum & Prophetarũ, cum summo angulari lapide Christo Iesu retinet, nullo modo posse errare. Certum enim & in nullam dubitationem uocandũ est, illum cœtum à Spiritu sancto regi et sanctificari, & hanc Ecclesiam esse columnam et stabilimentum ueritatis: ut sonat promißio Esaiæ 59. Hoc est fœdus meũ cum eis, Spiritus meus qui est in te, & uerba quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, et ab ore seminis tui in sempiternum. Et Ioan. 14. Alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, &c.

Sed hic sciendum & hoc est, in hoc cœtu esse quosdam, qui et si sancti sunt, tamen alij alijs fundamentum, doctrinam nempe cœlestem firmius retinent, ac clarius intelligunt. Magna enim etiam in sanctis imbecillitas est, & in alijs plura sunt & maiora Spiritus sancti dona, quàm

quàm in alijs. Et non ſemper æqualiter dona Spiritus ſancti in omnibus ſunt excitata, interdum ſancti ſunt feruentiori & alacriori ſpiritu, interdum languent et ſunt imbecilliores, nõ ſatis intenti ad retinendum fundamentum, ueritatem nempe, & lucem doctrinæ cœleſtis.

Vterq; Petrus & Paulus habent Spiritum ſanctum, & ſunt ſummi doctores Eccleſiæ, ac pulcherrima Dei organa: tamẽ Antiochiæ Petrus grauiter lapſus, et gentes offendens, quaſi ad iuſtitiam neceſſaria eſſet legis obſeruatio, reprehenditur à Paulo, qui fundamentum doctrinæ retinet, et diſcrimẽ Legis & Euangelij melius quàm Petrus intelligit, à quo Petrus aberrabat, ſicuti ad Gal. 2. ait, Vbi uidiſſem quòd nõ recto pede incederẽt ad ueritatẽ euangelij, dixi Petro corã omnibus, &c. Neq; etiam ſine peccato & errore fuit, diſſenſio inter Paulũ et Barnabam orta, de qua Lucas Act. 15. ſcribit.

Reprehenduntur etiam Prophetarum errores. Nathan enim cum nõ ex inſtinctu & mandato Domini, ſed ſuo conſilio & propria intentione iubet, ut Dauid ædificet domum Domino, errat: & hic error mox in ſequenti nocte à Domino corrigitur, ut ſcriptum eſt 2. Regum 7. Ita & Propheta de Iuda, diſcedens à uerbo & mandato Dei, deceptus à Prophetam

tam

ta in Bethel, discerpitur à leone. 3. Reg. 13.

Magni et graues errores et lapsus sunt Aaronis, Gedeonis, Samsonis, & Dauidis, et multorum sanctißimorũ uirorũ, cum uerbi lucem amittũt. Hiob et Hieremias maledicũt diei natiuitatis suæ. Elias & Ionas pertæsi uitæ, mortem sibi precantur. Quos errores & peccata summorũ uirorũ ideo proponit Scriptura, ne efferamur ex donis Dei, ne simus insolentes, & ut meminerimus dicti Paulini, Qui stat, uideat ne cadat. Stamus aũt tam diu, quàm diu uerbum dei in corde lucet: quæ lucerna ubi extincta est, necesse est sequi caliginẽ, tenebras, errores et lapsus: sicuti Propheta orat, Lucerna pedibus meis uerbũ tuũ, et lumen semitis meis.

Deinde etiam hæc sanctorũ errata et peccata proposita sunt, ut Ecclesia habeat cõsolationem, ut cum illis sua peccata sint cõdonata, credamus & nobis remitti, iuxta articulũ, Credo remißionem peccatorũ, qua fide, tota Ecclesia cum omnibus sanctis, opus habet, & quotidie orare cogitur, Dimitte nobis debita nostra. Non igitur audiẽdi sunt, qui fingũt, sanctos nõ posse errare aut peccare. Verè enim de omnibus hominib⁹ in hac uita dicitur, Nihil tã propriũ est homini, quàm labi, decipi ac falli. In altera uita uerò nõ erit errori aut peccato locus.

Quo-

Quomodo in Synodis iudicandum.

CVm igitur quæritur, An etiam qui ministerium gerunt, an Ecclesia, Concilia, & Patres errare poßint. Respondendum est, Ministros, Ecclesiam, Concilia & Patres non ad ullius hominis potestatem, sed ad solius uerbi dei autoritatem alligatos esse, cuius lucem & puritatem qui sequuntur, non errant: à cuius uerò puritate qui discedunt, labuntur in errores, siue sint Prophetæ, siue Apostoli, Episcopi, Patres, seu Concilia.

In prima Synodo, in qua ipsi Apostoli præsederunt, magna disceptatio fuit, utrum gentibus cõuersis ad Christum, necessaria esset ad iustitiam circuncisio & legis obseruatio, & maxima pars, quæ ibi erat, contendebat circuncisionem & legis obseruationem imponendam gentibus. Hunc errorē maximæ multitudinis taxat Petrus, & huius unius grauißima oratione commouentur Apostoli, & totus cœtus Concilij, ut cõtrarium statuatur, quàm antea multitudo contendebat.

Et in hac Synodo dicuntur Sententiæ, nõ ex multitudine suffragiorum, sed ex ueritate scripturæ: neq; ad ullius hominis, sed ad solius uerbi Dei autoritatem recurritur: quæruntur pro-

phetiæ

ta in Bethel, discerpitur à leone. 3. Reg. 13.

Magni et graues errores et lapsus sunt Aaronis, Gedeonis, Samsonis, & Dauidis, et multorum sanctißimorũ uirorũ, cum uerbi lucem amittũt. Hiob et Hieremias maledicũt diei natiuitatis suæ. Elias & Ionas pertæsi uitæ, mortem sibi precantur. Quos errores & peccata summorũ uirorũ ideo proponit Scriptura, ne efferamur ex donis Dei, ne simus insolentes, & ut meminerimus dicti Paulini, Qui stat, uideat ne cadat. Stamus aũt tam diu, quàm diu uerbum dei in corde lucet: quæ lucerna ubi extincta est, necesse est sequi caliginẽ, tenebras, errores et lapsus: sicuti Propheta orat, Lucerna pedibus meis uerbũ tuũ, et lumen semitis meis.

Deinde etiam hæc sanctorũ errata et peccata proposita sunt, ut Ecclesia habeat cõsolationem, ut cum illis sua peccata sint cõdonata, credamus & nobis remitti, iuxta articulũ, Credo remißionem peccatorũ, qua fide, tota Ecclesia cum omnibus sanctis, opus habet, & quotidie orare cogitur, Dimitte nobis debita nostra. Non igitur audiẽdi sunt, qui fingũt, sanctos nõ posse errare aut peccare. Verè enim de omnibus hominib⁹ in hac uita dicitur, Nihil tã propriũ est homini, quàm labi, decipi ac falli. In altera uita uerò nõ erit errori aut peccato locus.

Quo-

Quomodo in Synodis iudicandum.

CVm igitur quæritur, An etiam qui ministerium gerunt, an Ecclesia, Concilia, & Patres errare poßint. Respondendum est, Ministros, Ecclesiam, Concilia & Patres non ad ullius hominis potestatem, sed ad solius uerbi dei autoritatem alligatos esse, cuius lucem & puritatem qui sequuntur, non errant: à cuius uerò puritate qui discedunt, labuntur in errores, siue sint Prophetæ, siue Apostoli, Episcopi, Patres, seu Concilia.

In prima Synodo, in qua ipsi Apostoli præsederunt, magna disceptatio fuit, utrum gentibus cõuersis ad Christum, necessaria esset ad iustitiam circuncisio & legis obseruatio, & maxima pars, quæ ibi erat, contendebat circuncisionem & legis obseruationem imponendam gentibus. Hunc errorẽ maximæ multitudinis taxat Petrus, & huius unius grauißima oratione commouentur Apostoli, & totus cœtus Concilij, ut cõtrarium statuatur, quàm antea multitudo contendebat.

Et in hac Synodo dicuntur Sententiæ, nõ ex multitudine suffragiorum, sed ex ueritate scripturæ: neq; ad ullius hominis, sed ad solius uerbi Dei autoritatem recurritur: quæruntur pro-

phetiæ

phetiæ de gentibus ſaluandis, & à Petro ac Iacobo per editas prophetias admoniti, ſtatuunt decretum, iuxta uerbum Dei per Amos prophetam cap. 9. patefactum, qui cum alijs Prophetis multis annis antè, oſtẽdit gentes ſine circumciſione & lege, ſola fide et inuocatione nominis Dei ſaluandas eſſe: ſicuti ſonant Prophetæ uerba, Poſt hæc reuertar & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, et diruta eius reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

Certum igitur eſt non ualere, uel Patrũ, uel Conciliorum decreta ulla, niſi autoritate diuinæ ſcripturæ ſint munita: à qua qui diſcedunt, quantacunq; autoritate præpolleant, errant et falluntur.

Veriſsimum enim dictum S. Auguſtini eſt, Maior eſt ſcripturæ autoritas, quàm omnis humani ingenij perſpicacitas. Et illud Cypriani, Adulterinũ eſt, impium eſt, ſacrilegũ eſt, quodcunq; humano furore inſtituitur, ut diuina uioletur diſpoſitio. Et Chryſoſtomus in Homelia de profectu Euangelij ait, Concilium nihil habet ſtatuere contra uerbum Domini. Eſt enim error quicquid contra ſacram ſcripturam decernitur.

[...]itur. Nam nugis hominum non attendendum est, sed doctrinæ Spiritus sancti. Spiritus sancti verò doctrina est, ut S. Hieronymus in Epist. ad Galat. inquit, quæ canonicis literis prodita est; contra quam, si quid statuant Concilia, nefas duco.

In Concilio Niceno summi & sanctißimi viri fuerunt, plerique edendis miraculis celebres, et qui in cõfeßione cœlestis doctrinæ sub Maximiano & alijs tyrannis, tormenta & maximos cruciatus perpeßi erant, et tamen in eo Concilio fundamentum & ueritatem doctrinæ solus Paphnutius retinebat, cuius unius uoce ab errore tota Synodus reuocata est, ne neceßitas abstinendi à coniugio, imponeretur Sacerdotibus et ecclesiæ ministris. Affirmauit enim, honorabiles esse nuptias, & consuetudinem cum propria uxore, esse castitatem.

Non igitur attendendum est, quid, qui summos titulos in Ecclesia gerunt, aut quid maxima multitudinis pars sentiat aut statuat, qui omnes errare possunt, sed quæ sit sacræ Scripturæ certa & indubitata ueritas, quam si uel unus in sequenti Synodo retineat, illius sententiæ, non multitudinis, aut præpollentium autoritate iudicio assentiendum est. Neq; enim errat, qui fundamentum retinet. De quo præcla

ra dicta Gersonis & Panormitani iactantur, qui Concilijs Constantiensi et Basiliensi interfuerunt, quorum Gerson inquit, In sacris literis excellenter erudito, atq; catholicam autoritatem proferenti, plus credendũ est quàm Concilio generali. Et Panormitanus, Plus credendum est uel simplici laico, sacram scripturam producenti, quàm toti simul Concilio.

Quare autoritas Ecclesiæ, Conciliorum et Patrum, non ex ordinaria succeßione, non ex titulis, non ex ministerio, non ex multitudinis iudicio, aut pluralitate suffragiorum, sed ex solo Dei uerbo pendet, contra quod si quid statuitur, totum erroneum & impium est.

Ad dictũ Augustini, Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ moueret autoritas, breuiter respondendum est: Certum est Augustinum uocare Ecclesiam catholicam, nõ eam quæ succeßionem ordinariã solum habet, & titulum Ecclesiæ, sine puritate doctrinæ iactat, sed eam quæ uoce uerbi Dei collecta, eius puritatem, sicuti à filio Dei, Prophetis & Apostolis tradita est, retinet.

Hæc Ecclesia catholica, quia retinet fundamentum, & uocem pastoris sui audit, hanc habet autoritatem, ut testari & poßit, & debeat, quæ uox uel ueri pastoris uel lupi rapacis sit

cis ſit, iuxta mandatum æterni Patris, Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite. Et ipſius Chriſti, Cauete à pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

Hanc autem autoritatem teſtimonij, ut diiudicare inter uocem paſtoris ſui Chriſti, & inter lupi uocem poßit, non à ſeipſa, ſed à Deo habet: & quidem ita, non ut maior ſit Eccleſiæ, quàm uerbi Dei autoritas, ſeu ut Eccleſiæ aliquid in uerbo dei mutare, aut ei aliquid addere, ſeu noua dogmata aut nouos articulos ſeu cultus, à Deo non præceptos, inſtituere liceat, quos neceſſe ſit ſeruare, etiamſi à uerbo dei diſſentiant, ut nunc cõtendunt aduerſarij, ſed eius autoritas tantum, ut teſtis teſtimonium ualet.

Principaliter enim uerbo Dei, propter ipſum autorẽ Deum credimus, & propter edita miracula quæ teſtãtur doctrinã prophetarũ et Apoſtolorũ eſſe ipſius dei uocẽ, ſicuti 1. Theſ. 1. refert Paulus, Accepiſtis, inquit, à nobis uerbum auditus dei, non ut uerbum hominũ, ſed (ſicut eſt uerè) uerbũ dei: poſtea accedit & ipſius eccleſiæ teſtimonium, quæ teſtatur libros propheticos et apoſtolicos dei uocẽ eſſe, Vbicunque enim ambigua quæſtio incidit, recurrendũ eſt (ut libro 3. cap. 4. Irenæus docet) ad teſtimo-

nium Ecclesiæ ueteris, & ad scriptorum propheticorum et apostolicorum autoritatem. Sic enim ait Irenæus, Quid enim & si qua de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nónne oporteret in antiquißimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & liquidum est?

Exempli causa, Hoc tempore incidit disceptatio de missa: contendunt aduersarij, missam à Christo ipso institutam, et ab Apostolis traditam Ecclesiis. Hic recurrendũ nobis est ad ipsa institutionis uerba, ex quibus genuinꝰ sensus institutionis eruendus est.

Certum aũt est sententiã institutionis Christi esse hanc, non ut ipsius Cœna sit inane & theatricum spectaculũ, in quo unus filium dei, Deo patri nomine Ecclesiæ pro gratiarũ actione offerat: sed ideo hanc Cœnam institutam, ut cùm pia membra Christi ad laudem & gratiarum actionem cõuenerint, inter eos corpus domini ad comedendum, & calix sanguinis Domini ad bibendũ distribuatur: et ut agantur domino gratiæ, quòd corpus suũ pro nobis redimendis tradiderit, & sacrosanctũ sanguinem suum, pro remißione & ablutione peccatorũ nostrorũ effuderit, non præcipitur Apostolis,

ut

ut filium dei, deo Patri offerant, quod ipse pro genere humano redimendo in ara crucis semel fecit, ut multorum peccata tolleret, Ebr. 9.

Et mendacium est, quòd theatricum spectaculum instituerit, missam nempe, qua nobis beneficium Christi in ara crucis semel oblati applicetur, in quam sententiam hæc uerba Christi corrumpunt, cum ait, Hoc facite in mei commemorationem. Vult enim commemorationem, seu gratiarum actionem esse coniunctam usui seu Communioni sacramenti, non instituit per illa uerba nouum Missæ, seu sacrificij cultum.

Preterea, per spectaculum missæ beneficium Christi mihi applicari non potest, sed uera applicatio consistit in usu & fit fide, sicuti Abacuc ait, Iustus fide sua uiuet. Remißio enim peccatorum non contingit ulli ex alterius opere, sed necesse est, ut eam quisque fide propria accipiat. De quo copiosius in tractatu de Missa, quem breui in lucem edemus.

Deinde etiam recurrendũ est ad antiquißimas Ecclesias, ut Irenæus monet. Sunt autem antiquißimæ Ecclesiæ, quæ ab ipsis Apostolis sunt fundatæ. Apparet autem manifestè ex cap. 11. ad Corinth. 1. quæ fuerit obseruatio in Ecclesia Corinthiorum Cœnæ dominicæ, nem

pe talis quæ prorsus cum institutione Christi conueniebat.

Cum his concordant & sanctorum Patrum testimonia, qui non longè post Apostolorum tempora uixerunt, quæ deprauata & corrupta, aduersarij ad stabiliendam Cœnæ dominicæ prophanationem citant, ut Irenæi, Tertulliani, Cypriani, & aliorum quorundam.

De dono interpretationis.

POstremò inter cætera dona quæ ad ministerium pertinent, est quoq; donum Interpretationis, quod est lumē in piorum animis, amantibus & aßiduè tractantibus uerbum dei, diuinitus per Spiritum sanctum accensum, ad rectè & dextrè intelligendam doctrinam cœlestem, & ad discernendū Euangelium à Philosophia & humana sapientia, & ad patefaciendos & refutandos errores & opiniones, non consentientes cum uerbo Dei.

Hoc uerò donum non est alligatum certis locis aut personis, ut nunc quidam contendūt, à sede Romana, Pontificibus et Episcopis, quorum ordinaria sit succeßio, interpretationem scripturæ petendam esse, sed est in eo cœtu seu Ecclesia, quæ fundamentum & puritatem uerbi Dei retinet, nō apud eos, qui doctrinam corrumpunt, qui idola & manifestos errores, pugnantes

gnantes cum uerbo Dei, pertinaciter defendunt, & quidem tantum in renatis, qui sunt habitacula Spiritus sancti, non in hominibus prophanis, quos propter manifesta scelera, à corpore Christi, ut putrida membra, oportebat esse precisos & excommunicatos.

Sæpe enim cum homines blasphemi, idololatræ, & impij ordinariã successionẽ, & gubernacula Ecclesiæ tenebant, diuinitus, qui extra ordinariã successionẽ erant, Prophetæ atq; alij excitati sunt, qui Pontificum & Sacerdotũ errores et idololatrias taxarent, ut est cernere in Elia, Eliseo, Esaia et Amos prophetis, in quibus eo tempore donum interpretationis diuinitus accensum fuit, cum põtifices & sacerdotes essent hostes ueræ doctrinæ, et homines impij.

Tempore Christi donum interpretationis non erat in cœtu Annæ, Caiphæ, Scribarum & Pharisæorum, qui capita Ecclesiæ & soli ecclesia & populus dei esse uolebant: quorum Sadducæi omnes propheticos libros reijciebant, retentis solis Mosi libris, neque resurrectionem mortuorum credebant, Sed in cœtu et Ecclesia Zacbariæ, Elisabethæ, Baptistæ, Pastorum, Simeonis, Annæ & Apostolorum, ac cæterorum penes quos puritas & lux doctrinæ cœlestis fulgebat.

Ita 1.Cor.14. inquit Paulus, donum interpretationis nō esse apud homines prophanos, sed in eo cœtu, qui à Spiritu sancto regitur & sanctificatur. Sic enim ait, Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent. Porrò si alij fuerit reuelatum aßidenti, prior taceat. Dicit interpretationem esse reuelationem factam à Spiritu sancto, quæ in prophanis, cum sint organa diaboli, fieri non potest.

Quare ut maximè sint uiri, qui doctrina & politica sapientia præstant, tamen ab illis scripturæ interpretatio petenda nō est, sed tantum à renatis. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & spiritualia spiritualiter dijudicantur, sicut 1.Corinth.2. scriptum est.

Præterea hoc donum apud eos esse non potest, qui studia cœlestis doctrinæ negligunt, aut contemnunt: sed tantum apud eos, qui summa cura & uigilantia in discendis & perscrutandis sacris uersantur, iuxta Christi uocem Matthæi 25. Omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo. Et Oseæ 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.

Item

Item Ioan. 8. Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem. Et ibidem cap. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c.

Quæ quoq; ratio est, quòd toties studium uerbi nobis commendatur & præcipitur, uidelicet Ioan. 5. Scrutamini scripturas. 1. Tim. 4. Attende lectioni. Et Psal. 118. Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, &c.

Quare non sunt audiendi qui sine uera agnitione & timore Dei, sine pijs & ardentibus studijs cœlestis doctrinæ, propter locum aut titulos, ius interpretationis sibi sumunt. Ac prorsus diabolica superbia et præsumptio est, arrogare sibi potestatem interpretandæ scripturæ diuinæ, cum hoc solius dei donum sit: qui ut solus eius est autor, ita & solus interpres, qui lucem interpretationis in solis pijs & renatis & amantibus uerbum, per spiritum sanctum accendit.

Non igitur constat scripturæ interpretatio ex humano iudicio, doctrina aut sapientia politica, sed primum ex certis, illustribus & inter se consentientibus testimonijs collatis, non ut interpretes ex suo iudicio, aut humana doctrina seu sapientia, aliquam interpretationẽ pa-

riant aut effingant, sed scripturæ interpretatio ex ipsa scriptura petenda est, conferenda inter sese sunt illustria Prophetarum & Apostolorum testimonia, ex quibus obscurioris loci sensus eruendus est, & simul orandus Deus est, ut per Spiritum sanctum ueram sententiam nobis patefaciat, & nos in omnem ueritatem ducat, sicuti sonat promißio, Cum uenerit ille Spirit' ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Item, Paracletus, spiritus ueritatis manebit apud uos in æternum, & in uobis erit.

Deinde etiam catholicus consensus in interpretatione scripturæ considerandus est. Vocamus autem Catholicum consensum, eam sententiam scripturæ, quæ ab Apostolis Ecclesijs tradita e?t primum, quam Ecclesiæ & ipsorum Ministri, Apostolorum discipuli et ordine alij, synceram et incorruptam, consentientem cum ipsis Prophetarum & Apostolorum scriptis retinuerunt.

Vt cùm Iohannes scribit, In principio erat uerbum. Quæritur, quæ sit genuina, propria, & certa horum uerborum interpretatio, & quid hoc loco Verbum significet? significet ne tantum inanem linguæ & oris sonum? ut apud Ouidium,

Verba puellarum folijs leuiora caducis

Irritaq;

Irritaq́;, ut uiſum eſt, uentus & unda ferunt. An uerò ſubſtantiam, atq; adeo Filium dei, perſonam diſtinctã à Patris perſona? Hic non ex ratione aut iudicio humano afferenda eſt interpretatio, ſed quærenda eſt ex certis & illuſtribus ſcripturæ locis interpretatio, et uidendum cur Euangeliſta Filium dei ab æterno ex ſubſtantia Patris genitum, appellet uerbum.

Vocatur autem ideo Filius uerbum, quia ſicut nos cogitando gignimus imagines rerum de quibus cogitamus, ita Pater intuens ſe, gignit imaginem ſui. Ea imago quia cogitatione gignitur, uerbum appellatur. Sed nos cogitando non transfundimus ſubſtantias in eas imagines, quas cogitando genuimus: ſeu cum loquimur, nõ transfundimus ſubſtantias in illud uerbum quod ſonuimus. Pater autem transfundit ſuam eſſentiam in uerbum. Eſt ergo uerbum, quædam perſona diſtincta à Patris perſona, et tamen eadem eſt utriuſq; perſonæ eſſentia.

Articulus enim de Trinitate uariè oppugnatus eſt. Quidam ſenſerũt unam tantũ perſonã eſſe, ſcilicet Patrem: & nomẽ Verbi, non ſignificare perſonam, ſed cogitationẽ uel ſententiã exiſtentem in Patre, ſicut in nobis nõ eſt diſtincta perſona ab homine, ſententia hominis, Et Chriſtum uocarunt uerbum κατὰ συνεκδοχὴν,

Quia

Quia perferret ad nos Patris sententiam.

Ariani cum uiderent Verbum clare significare personam quandã, docuerunt et ipsi Verbum esse Filium, sed tamen esse creaturam, nec esse coæternam Patri, quãquam ante alias creaturas conditus esset, & præstaret alijs dignitate.

Aduersus has hæreses & similes, scripturæ testimonia colligenda, conferenda & consideranda sunt, ex quibus ostendendum est, Verbũ non significare uocem creatam, aut sententiam à Patre procedentem, seu prolatam, quæ non sit persona à Patris persona distincta, sed personam ab æterno ex essentia Patris genitam et à Patre distinctam, sicuti hoc testimonium clare docet, Verbum caro factum est. Hic necesse est, Verbum, intelligi de quadam persona, quæ naturam humanam assumpserit. Si enim Verbum esset uox creata, non transisset uox creata in naturam humanam.

Item, si Verbum significaret sentẽtiam non distinctam à Patre, Pater esset incarnatus, At Verbum caro factum est, Pater non est factus caro. Est igitur distincta quædam persona Verbum. Quod autem Verbum hoc loco significet naturam diuinam coæternam Patri, testantur hæc uerba Iohannis, cum inquit, In principio

erat

erat uerbum, Si tunc erat, cum creaturæ inciperent. Et, si omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Ergo ipsum neque factum, neq; creatum est. Respicit enim Ioannes ad illud Gen. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram. At tunc iam erat Verbum. Est igitur æternum, si fuit ante creaturas.

Item Psalm. 33. Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius, omnis exercitus eorũ. Hic tres distinctæ personæ enumerantur, Dominus, & Verbũ domini, ac Spiritus oris eius, & Verbo tribuitur creatio rerum. Ergo Verbum est omnipotens. In Baptismo Christi apparent tres distinctæ personæ, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, & iubemur baptisari in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ergo Verbum non significat uocẽ creatam, aut sententiam à Patre prolatã: neq; Spiritus sanctus significat motum seu agitationem Patris, sed sunt distinctæ personæ à Patre.

Ex his & plurimis alijs Veteris & Noui Testamenti consentientibus testimonijs, sensus & interpretatio huius dicti, In principio erat uerbum, primum sumẽda est, quæ à iudicio humanæ sapientiæ aut sciẽtiæ prorsus aliena est. Demosthenes enim aut Cicero ignari scriptorum Propheticorum & Apostolorum, quanquam

quam sunt uiri præstantes eruditione et sapientia, tamen hoc loco nullo modo filium Dei per uerbum intelligendũ dicerent, sed longè aliam sententiam esse affirmarent.

Sed ad scripturæ testimonia conferendus quoq; est consensus catholicus. Videndum quid in hoc loco ij, qui doctrinam cœlestem ab ipsis Apostolis acceperunt, & quid ordine uetustissimi doctores ecclesiæ per uerbũ intellexerint. Certum est autem Polycarpum, Ignatium et alios, qui ipsum Ioannem & cæteros Apostolos audiuerũt, Deinde Irenæum, Tertullianũ, Cyprianũ, et post hos Ambrosiũ, Hieronymũ, Augustinum, et reliquos Doctores ordine, hoc loco per uerbum filium Dei intellexisse: quorũ consensus et testimonium multum ualet ad confirmandas mentes piorum. Fides tamẽ nititur, uerbo dei, tradito per prophetas et Apostolos.

Hæc breuiter de dono interpretationis, & tota hac materia, hoc tempore sufficiant.

FINIS.

BASILEÆ,
ANNO DOMINI
M. D. LI.

INDEX.

Chalce-

 Ioan-

Pau-

Sera-

Triphy-

FINIS.